


GOCLENIVS ~ Disquisitiones philosophicae.
1
6
391
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
50.000 - 10-939







RODOLPHI GOCLENII, PROFESSORIS PHILOSOPHICI IN INCLYTA Academia Marpurgensi,

DISQUISITIONES Philosophicæ.



MARPURGI CATTORUM,

Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.

cIↃ IↃ xcIX.

AD OTIOSOS ET HUMANOS LECTORES.

QUÆSITUM est à ſapientiæ ſtudioſis: Tacitísne meditationibus plus proficiamus, quàm diſputationibus? Poſterius affirmandum videtur. Sicut enim lapidum colliſione ignis excutitur: ita ex diſputationibus elicitur veritas, ſive nobiſcum ipſi pugnemus, ſive adverſarium habeamus, qui ſua vel ſapientia vel pertinacia nos doceat. Quædam igitur in hac noſtra tranquillitate literaria, quę tempore ſucciſivo meditati ſumus, ad diſputandum privatim publiceq́; propoſuimus, non ſecuti tamen veſtigia tenebrionum illorum & nimis ſubtilium Doctorum, qui obſcura per ſe obſcuritate involvunt, & in iis verſantur ac hærent miſerè, quæ otioſæ ſunt nugæ, aut humana intellectione capi non poſſunt: qualia multa ſunt Scholaſticorum, è quibus eſt Occamus Britannus, cujus, judicio Scaligeri, ingenium omnia vetera ingenia ſubvertit: nova ad invictas inſanias ob incomprehenſibiles ſubtilitates fabricavit atq; conformavit. Illa enim ingenia, ut felicia, judicioq́; prædita dilaudo, quæ nec inutilia, nec à captu noſtro omninò remota, purè, ἄνευ ῥημάτων μαγειρικῶν, Logicè, &, quoad ejus fieri poteſt, perſpicuè diſſerunt: Suntq́; mihi longè laudabiliora, ſi Ethicam tenentia moderationem ac æquitatem, & veritatem potius quàm perſonas, quippe quæ non ſint normæ judicii noſtri, ob oculos ſibi poſitam habentia, adverſantium memoriam cum benevolentia aliqua uſurpent, neminem inimica, ſcurrili, mordaciq́; reprehenſione laceſſant, nullius nomen petulanter rodant, ex nullius deniq; inſectatione laudem

famamq; quærant: quod vel in literis nostris novi homines (quàm projecti ad audendum!) hodie factitant, quorum quidem protervia, temeritas, effrenataq; cupiditas graviter castiganda, coërcenda & cohibenda, ne porrò dicteria sua petulantius in bonos modesteq; philosophantes jaciant. Sed istis, quibus cum conflictari nolo, dimissis, ad vos, otiosi humaniq; lectores, me converto. Vos gratas & acceptas habete has primæ philosophiæ, Transnaturalium, & Physicarum rerum Διασκέψεις seu disquisitiones, quæ sicut à me causa veræ philosophiæ candidatorum, ut quibus otium meum serviat, institutæ ac informatæ, sic etiam typis Egenolphi nostri descriptæ sunt: & si quam opinionem mentibus vestris comprehendistis, si eam constans ratio convellit, ne repugnetis, sed eam libentibus animis remittatis. Ad summam: veritatis vos studiosos alumnosq; bonos re vera ostendite. *Suum cuiq; pulcrum: nobis veritas.* Hæc ad vos ἐκ τοῦ παρέργου. Valete, & hujusmodi διασκέψεις, cum utilitate conjunctas dico, modumq; ingenii humani non excedentes, plures in posterum à me, modò ne quid mihi acciderit, expectate. E Museo meo festiné VII. Cal. Sept. (quo Petro Ramo ante annos XXVII. Lutetiæ in planè truci ac ferè antehac inaudita κρεουργία vita erepta est immerenti) Anno Christi Jesu undesexcentesimo.

Rodolphus Goclenius, in Illustri Academia Marp. Philosoph. Professor.

INDEX QUAESTIONUM.

Primæ philosophiæ, & ex ea deducta.

PHYSIOLOGICÆ.

INDEX

TRANSNATURALES.

FINIS.

ERRATA. Pagina 18, versu 8, tolle punctum post causarum, & lege causarum extremorum. v.23, pro contineri lege continere ait. p.54. v.8. lege frigore necne. p.55. v.5. pro tàm, lege tantum. p.81. in tabula tertia, pro analogice lege analogicam. p.143. v.8. pro libidinarii lege libitinarii. p.164. v.1. pro pagina lege propositione. p.167. ad finē quartæ theseos pone octavam: Addit autem, &c. & loco octavæ assume hanc: Cùm in eadem forma concurrunt intentiones pulcræ & turpes, visus comprehendit pulcritudinem ex pulcro, turpitudinem è turpi, auxilio virtutis distinctivæ. Undecimæ theseos verbo Esto, subjice hæc: Sed nonnunquā etiam accidit uni videri turpe, quod videtur alteri pulcrum, propter consuetudinem, animi affectionem, imaginationem diversam. In secunda tabula post Indicem lin.1. pro Ἄλλων lege Ἄλλως. ibid. lin.4. post Philosophicis doctrinis continentur & explicantur, adde disciplinæ.

- Philosophicæ Doctrinæ, seu Disciplinæ liberales, quæ partim Pædagogicæ, partim Academicæ cathedræ sunt, continent
  - Doctrinas Reales, quæ res ut objecta intellectionis nostræ tractant, quas Philosophiam dicimus: Quæ est
    - Universalis, καθολικωτάτη, Prima Philosophia: De Ente universè.
    - Particularis seu secunda, de Ente, definitè (id est, de particulari Ente)
      - Theoretica magis, seu Realis ea est
        - Essentiæ
          - Transnaturalis, seu Incorporeæ, seu Spiritualis. Pneumatologia
            - Theologia.
            - Angelographica.
          - Naturalis seu corporatæ: Physica corporum
            - Cœlestium: Astronomia.
            - Sublunarium: quæ multarum est partium: quò pertinet Geographia, Optica & Musica.
          - Physicæ praxis est, Ars Medica.
          - Astronomiæ & Geographię conjunctio est Cosmographia.
        - Quantitatis: Mathesis seu Mathematica:
          - Arithmetica: Numerorum.
          - Geometria: Magnitudinum: cujus pars vel praxis Gæodesia.
      - Practica: seu Moralis
        - Ethica:
        - Politica: in qua continetur Oeconomica: Hinc efflorescit Jurisprudentia Romana, specialis politica.
  - Artes dirigentes intellectionem nostram: seu Ministras & quasi Instrumenta Philosophiæ: Quæ sunt Artes Logicæ
    - Sermonis
      - Ornati: Rhetorica:
      - Puri: Grammatica.
    - Rationis: Logicæ: Organon.

Ἄλλων, quod ad posterius distributionis membrum attinet.

Philosophicis doctrinis continentur & explicantur
- *Simplices:*
  - *Philosophia ipsa De Ente: quâ Ens.*
  - *Ministræ ejus: Instrumenta seu artes Organicæ, quæ Logices nomine continentur.*
- *Compositæ: Facultates seu* δυνάμεις *è Philosophia & instrumentis ejus deductæ:*
  - *Eloquentia.*
  - *Poëtice.*
  - *Historice.*

DISQUI-

DISQUISITIO PRIMA:

An Deus absoluta necessitate Res produxerit? & : an Res Naturales non possint non esse?

Conclus. Neg.

SApientium penè omnium consentiens doctrina est, mundum aliquando esse ortum à numine Mentis præstantissimæ: Pieque, hoc est, veræ religioni congruenter dictum est: *Omnia sunt ab uno & ad unum.* Ab uno quidem, ut prima & summa causa Efficiente. Ad unum verò, ut ultimum seu extremum finem. Atq; hoc ipsum est quod Scholastici Philosophi inculcare solent: Omnia dependent à Deo effectivè & finaliter (hoc est, efficientiæ & finis ratione.) Sit hoc fixum, nec in dubium vocetur: At istud sæpè quæsitum est: *Utrùm à Deo Universum extiterit contingenter, an Absolùta necessitate?* Quidam philosophi, quà veteres, quà recentiores, statuunt, ut corpus umbræ, Sol radii, speculum imaginis causa est necessaria: sic Deum ex necessitate naturæ suæ omnia produxisse, & intelligentias præsertim cum cœlo non posse non esse, & quidem duratione in infinitam æternitatem. Contra hos dicimus: Mundum nullo necessitatis impulsu à Deo procreatum: Deum liberrimè res produxisse, seu ex non entibus fecisse entia, seu omnia dependere essentialiter à Deo voluntariè procreante. Itaque omnes creaturas esse entia δυνατὰ & contingentia, id est, quæ possint non esse: Solum & unum Deum esse ens simpliciter necessarium, id est, quod non possit non esse. Hæ assertiones nobis sunt probandæ. Deductiones igitur hæ sunt:

Vide Basil. Hom. 1. in Hexaem.

1. Res omnes dependent à Deo contingenter.
2. Vnus Deus absolutè necessarium ens.

Necessarii absolutè oppositum simpliciter impossibile est, & includit seu implicat contradictionem. *Propos.*

Hujus, Mentes creatæ sunt, oppositum, Mentes creatæ non sunt, non simpliciter ἀδύνατον est, nec implicat contradictionem. *Assumpt.*

Assumpt. prob. Habent enim mentes esse per Deum, deducique ad non esse per Deum ut externam causam possunt.

Compl. Ergo Mentes esse non absolutè est necessarium. Itaq; possunt non esse. Idem judica de cœlo.

Propositionis declaratio. Dicitur autem simpliciter impossibile quod nulla omnino potentia fieri potest, ut cùm dicunt Theologi, à Deo nihil fieri posse quod implicet contradictionem. Implicare contradictionem dicuntur, quæ perimunt se ipsa, ut animal esse & esse sine anima.

Zab. lib. 2. de Mat. cap. 2.

Propos. II. Omne dependens ab eo à quo dependet, si est voluntarium principium, potest mutari & dissolvi.

Assumpt. Mentes immateriales & cœlum dependent à principio voluntario, Deo.

Compl. Ergo à primi principii nutu deponi possunt ab ea essentia in qua sunt ab illo constitutæ.

Prosyllogis. Si enim non possent, haberent in se aliud principium resistendi illius infinitati. Non igitur esset illud principium.

Consequens. Itaq; mentes & cœlestia sunt entia possibilia contingentia, corruptibilia, non absolutè necessaria.

III. Quod est compositum vel aliquo modo, est resolubile.

Mentes sunt aliquo modo compositæ.

Ergo resolubiles. Assumpt. probat.

Quod actus purus non est, est aliquo modo compositum.

Intelligentia actus purus non est.

Habet enim aliquid simile materiæ, aliquid simile formæ: constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam forma. Potentiam hanc dicimus ejus esse: Actum verò ejus essentiam. Est autem essentia, qua est id quod est. Esse verò ejus est receptivitas essentiæ, ut loquitur Scaliger. *Est igitur intelligentia actus* (id est ens, [a] cui nihil causæ potest evenire, quo sit hoc quod est: ens non compositum ex materia & forma, nulloq; medio instrumento egens ad functiones suas perficiendas.) *sed non purus* (id est, non mera essentia.) Nam omne finitum habet aliquid quod est in actu, & aliquid, quod est in potentia.

a) *Quanquam hoc est actu potius esse, quàm actum. Scalig. ex. 359. sect. 2.*

Intelligentia igitur est aliquo modo composita.

Sic Cœlum cùm non sit substantia simplicissima, hoc est, non careat omni materiæ & formæ compositione: (Est enim corpus Physicum seu naturale) resolubile id esse fateamur necesse est.

IIII. In quo idem est Esse & Essentia, id est Ens absolutè necessarium.

In Deo omninò idem sunt Essentia & Esse. Prorsus enim nulla in Deum cadit compositio, propter summam & perfectissimam ejus simplicitatem. Deus est purus actus.

Ergo Deus est Ens absolutè necessarium.

Hinc rursus productio rerum contingens probatur.

Ens enim absolutè necessarium in summo necessitatis gradu non potest non esse, etiam nullo alio existente.

Prima causa est summè & primò necessarium ens: id quod hinc quoq; intelligitur, quòd à se est, & nullam habet causam, ac à nullo principio dependet.

Ergo non potest non esse etiam quocunq; alio non existente.

At si ipsa ageret necessariò, non esset nisi alia essent. Habens enim necessariam σχέσιν seu essentialem ordinem ad aliquid non est, nisi etiam illa σχέσις sit. Non existente autem utroque extremo, σχέσις non est. Ergo si alia non essent, σχέσις primæ causæ ad ea non esset, & ex consequenti, nec ipsa prima causa esset. Quod cùm falsum sit, Deus liberè & contingenter res produxisse dicendus est.

Necessitate interim ex hypothesi Decreti Divini, quod immotum est, Creaturæ sunt entia necessaria. Sed hæc necessitas non tollit Dei summam libertatem. Et acutissimis quibusdam Philosophis Intelligentiæ etiam ideò sunt secundum quid & ex hypothesi necessariæ, quòd habeant potentiam seu naturam (à creatore acceptam) ut semper sint, seu quòd in natura sua non habeant aliquod principium per quod possint desinere esse. Ex horum igitur sententia sic concluditur:

Quod non habet internam potentiam & inclinationem ad non esse, licet possit deduci ad non esse per externam causam, id est secundum quid necessarium.

Intelligentiæ non habent in se potentiam ut aliquandò non sint, etiamsi à principio externo Deo aboleri possint.

Ergo sunt entia κατά τι necessaria.

At non desunt tamen, qui volunt, mentes, sicut & cœlum, non habere naturalem, sed obedientialem tantùm potentiam, (hoc ipso, quòd à Deo dependent) ob quam corrumpi aut in nihilum recidere possint. Et Julius Scaliger: Commune corruptibilitatis omnium

creatarum rerum Principium statuit Dependentiam à Deo. Ex. ad Card. 61. sect. 5.

Object. Itaq; si quis sic argumentetur: In quo non est principium corruptionis & dissolutionis, id per se non est corruptibile & dissolubile.

In quibusdam Entibus ab alio, ut in cœlo, non est principium corruptionis & dissolutionis, nempe Materia & Contrarietas.

Ergo quædam entia ab alio, ut cœlum, non sunt per se corruptibilia: Ita inquam, si quis ratiocinetur, è Scaligero ad Assumptionem respondetur: *Solut.* Cœlum cùm non habeat causam τοῦ εἶναι à se, sed sit dependens & finitum potestate & essentia, habet hoc ipsum principium dissolutionis, vel abolitionis. Potest igitur è sua natura non esse & οὐδενοῦσθαι. Sic enim græcè, ne annihilari cogatur dicere, Scaliger, hoc est, in nihilum recidere. Sed placet ascribere ipsa Scaligeri verba: Theologi nostri in secundo Sententiarum, cùm metuerent illam objectionem: Cœlum non habet contrarium à quo corrumpatur, ita instituerunt: *Object.* Materiam in cœlo esse oportet: quia in ipso esse oportet principium *Solut.* corruptionis. Error hic maximus duplex est. Primus: Quia omne Ens ab alio est per se corruptibile, etiamsi nullam habet materiam. Est enim finitum. Non igitur ad cœli corruptionem arcessenda materia fuit. Licet enim non habeat contrarium, non tamen habet causam à se essendi. Potest igitur è sua natura non esse. At hoc est principium commune omnium rerum corruptibilitatis, nō autem contrarietas. Quod enim actus purus non est, compositum aliquo modo est. Ergo & resolubile. Et paulò pòst: Cœlum etiam Peripateticis ipsis cùm sit dependens, habet hoc ipsum principium dissolutionis. Unum enim ac solum necessarium ens, quod à se est. A Theologis igitur, apud quos cœlum Dei nutu, quod ex nihilo factum sit, ad nihilum sit interiturum, ita, ut ei novum subeat cœlum, non necessariò apposita est materia tanquam principium abolitionis primum: quia non à contrario naturali cœlum corrumpetur, sed à nutu divino. Deinde quòd si materia ob id data sit, & ob id corrumpatur: quid erit quod corrumpet materiam illam? Quippe materiæ nihil est contrarium. Incendio namque ipsa quoq; consumetur. Quod cùm futurum sit alio igni quàm nostrati hoc (non enim nunc cœlum comburit) non fuit ponenda materia, quæ susciperet aliam formam. Omnia enim, atq; etiam ipsa materia, nova erunt. Ex his verbis Scaligeri peti potest responsio ad Quæstionem

nem: Si mentes seu intelligentiæ sunt corruptibiles per se, hoc est, habent naturam fini & solutioni obnoxiam, quam ob rem non corrumpuntur, ut dicere possimus, fuerunt, sicut aliquando non fuerunt? Non corrumpuntur, quia Deus non vult eas corrumpi: Seu: Non naturæ hoc est, quòd angeli & animi hominum non intereunt, sed Gratiæ & beneficii divini. Sua scilicet natura omnia præter unum, αὐτοὸν, quod à se est, sunt φθαρτὰ: quia, ut toties dictum est, ab Uno hoc αὐτεξουσίῳ summè libero planè dependent. Congruunt hæc pulcrè cum Timæo Platonis, qui *æternum vocat mundum*, ac singularem, inquit, & unigenam mundum Deus procreavit, qui quidem & est & erit, *non quidem ex ipsius natura, sed ex Dei consilio & voluntate*, id est, quandiu Deus voluerit mundum consistere: Ideo ubi dixit Plato mundum solutum iri atque periturum esse, mox subjungit, ἄν ποτε λύσις τὶς αὐτοῦ γίνηται, & quænam sit illa λύσις seu solutio exponit, cum introducit opificem unum & summum Deum, opera sua alloquentem sic: Hæc vos, qui Deorum satu orti estis, attendite. Quorum operum ego parens effectorq; sum, quæ per me facta, sunt ἄλυτα (indissolubilia) quoad quidem voluero (ἐμοῦγε θέλοντος) quanquam omne colligatum solvi potest (τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν, λυτὸν.) Sed haudquaquam Boni est, ratione vinctum velle dissolvere. Idcirco quoniam orti estis (id est, quia cœpistis esse) immortales quidem esse & indissolubiles non potestis: neutiquam tamen dissolvemini, neq; vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior quàm consilium meum: quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestrã quàm illa quibus, cùm gignebamini, estis colligati. Quis nõ intelligit ex his verbis divini Platonis, universum seu mundum & astra ut nata, hoc est, orta sunt, sic quoq; naturam habere finitam & dissolutioni obnoxiam, hactenus autem constare ac permanere, quatenus illa Deus stabilierit atq; firmarit potentia ac virtute sua, hoc est, æternitatem quandam habere precariam, & tandiu duraturam, quandiu Deus voluerit, qui αἰώνιος est πρώτως, & καθ' αὐτὸ, & καθ' ὕπαρξιν καὶ αἰτίαν τοῦ εἶν. Astipulantur sacræ literæ, quæ docent universitatem hanc tandem ἀπὸ κατὰ μετοχὴν κατάστασιν suam consecuturam, ultimoque illo die conflagratione consumptum iri. Teneatur igitur hîc: In rebus creatis τὸ ἀΐδιον dici id, quod ad verè primoq; æternum propius accedit, ex cujus συμμετοχῇ habeat constantem & firmam hyparxin.

Mundus αἰώνιος πῇ, id est, κατὰ μετοχὴν τοῦ εἶν.

II.

An animi hominum & angeli sint compositi è materia & forma?

QUÆ de animo hominis & angelis dicuntur, persuaderi nobis non opinione solùm, sed etiam ad veritatem planè velim. Sed hæc abstrusior est in explicatione quæstionis: An animus hominis & angeli sint substantiæ materiatæ? Qui sententiam affirmantem defendunt, sic arguunt:

Mutatio creaturæ refertur in materiam tanquam in primum principium passivum motus.

Angelus & animus hominis sunt mutabiles: id quod lapsus eorum evincit.

Sunt igitur præditi materia.

Hanc conclusionem communiunt axiomate Platonis in Timæo: Quicquid natum est, est corporeum, σωματοειδὲς δεῖ τὸ γιγνόμενον εἶναι.

Revocatur axioma Platonicum ad libellam.

Sed hoc axioma restringendum aliis videtur ad Mundum, quòd integrum apud Platonem sic habeat: σωματοειδὲς δὴ καὶ ὁρατὸν ἁπτόν τε δεῖ τὸ γιγνόμενον: Corporeum autem & aspectabile, itemq; tractabile necesse est esse quod natum est: Jam certum est animum hominis & angelum non esse aspectabiles & tractabiles. Ad Mundum igitur sententia hæc astringenda, præsertim cum paulò antè dixerit Plato, Mundus factus est sive generatus, quandoquidem cernitur & tangitur, & corpus habet.

Hujusmodi autem omnia sub sensum cadunt, & sensu comprehenduntur. (Syllog. Quicquid sub sensum cadit, genitum est. Universum hujusmodi est. Igitur generatum est.) Sed ego puto Platonem sensisse: Angelos esse corporeos, quòd ejus sectatores idem docuerint: & Augustinus hoc ipsum testetur 8. de Civitate Dei, cap. 14. 15. 16.

Ad propositionem igitur respondendum fuerit cum Gr. D. V. & Jul. Scalig. Omne ens quod est ab alio, ut Deo, esse per se mutabile, etiamsi nullam habeat materiam: quia est finitum. Itaque in angelo sine ulla materia sufficere ad motum hoc ipsum, quod est, Angelum esse creaturam perfectionis finitæ, licet sit substantia simplex & separata. Nam hoc ipso quòd habet definitam restrictamque perfectionem, potest ad aliquam perfectionem, quam habet in potentia, consequendam moveri, eamque παθητικῶς recipere.

Contrà

Contrà communis Peripateticorum opinio eſt: Intelligentias & animos humanos eſſe ſimplices & immateriales, non eſſe compoſitos ex materia & forma. Subſcribit ei Scaliger, ſed ita, ut compoſitioné ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu admittat. Intelligentia, inquit, tametſi non eſt compoſita ex materia & forma: tamen conſtat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu: Angeli compoſiti ſunt ex ſubſtantiis duabus, altera ſimili potentiæ, altera ſimili actui. exer. 359. ſect. 2. & 12. Itaq; ſi quiſpiam è Peripateticis dixerit: Angelus merè ſimplex eſt: Reſpondet ſeu potius contradicit ſic: Omnia quæcunq; ſub Deo ſunt, ſunt compoſita: & Angelus compoſitus eſt ex ſuo eſſe, & ſua eſſentia: quanquam rectiùs dici videatur: τὸ Eſſe Angeli compoſitionem facere cum Eſſentia. Differt autem hæc compoſitio ab illa, quæ eſt materiæ & formæ, quia ex compoſitione formæ & materiæ reſultat tertia quiditas, complectens tam materiam quàm formam, tanquam naturas partiales, ut ait Soncinâs: At ex compoſitione quiditatis cum eſſe non reſultat tertia quiditas. Pro communi opinione affertur hoc arg.

Compoſitio in angelo eſt eſſentia ſeu quiditatis cum eſſe compoſitio.

Quicquid habet materiam, habet quantitatem. Quantitas enim inſequitur naturam materiæ neceſſariò, eiq; coæva eſt. Zabarell. lib. de Miſtione cap. 2.

In intelligentiis non eſt quantitas, id eſt, ſunt intelligentiæ ſine omni magnitudine. Ariſtoteles 12. 1. Philoſoph.

Intelligentiæ igitur non habent materiam: ſed ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, non unitæ materiæ.

Hic Scaligeri ſtudioſi negaverint aſſumptionem. Intelligentiæ enim ſunt ſuo modo quantæ, nimirum quantitate intelligibili, ut intellectus intelligat in eis unam partem, quæ non ſit alia. Et contrahuntur & diffunduntur aſſerta ſibi magnitudine, ſed certa finitaq;. Non enim in infinitum ſe promovere poſſunt, neq; ad puncti οὐδενότητα ſeſe contrahere. Exer. 359. ſect. 3. & 6.

Intellectio noſtra aſſignat angelis partem extra partem.

Deniq; quicquid habet figuram, habet quantitatem.
Angelus aliqua figura eſt præditus.
Ergo angelus habet quantitatem.

Aſſumptio probatur. Omne finitum aliqua figura finitur. Angelus eſt finitus: quia eſt ens aliud à primo ente. Ergo angelus aliqua figura finitur. Hac concluſione conceſsâ facilè eſt inferre, Angelum eſſe

Omne terminatum aliqua figura terminatur. Exer. 359. ſect. 4.

Duo infinita esse nequeunt.

esse corporeum, sic: Substantia, quæ figura terminatur, habet superficiem. Angelica substantia figura aliqua terminatur. Ergo habet superficiem.

Superficies propria est corporis.

Angelicæ substantiæ est superficies.

Ergo angelica substantia est corporata, non ἄυλος.

Huic sententiæ favet Johannes Bodinus, cujus hæc est ratiocinatio.

Nullius substantiæ fines seu termini cogitari possunt præter superficiem.

Superficies autem est propria solius corporis.

Igitur omnis substantia finita corporea sit necesse est.

Itaque nulla omnino substantia præter Deum est corporis expers.

Boëtius libro de hebdomadibus.

Itaq;: Quicquid est citra primum, est hoc & hoc, id est aliquid compositum.

Sed occurri ei potest tribus argumentis:

I. Si Angelus est Spiritus, non est corpus.

At angelus est Spiritus: Ergo.

II. Si angelus esset corpus, esset in loco circumscriptivè, id est, loco circumscriberetur & concluderetur. At non hoc: Ergo nec illud.

III. Si angelus esset corpus, cum alio corpore esset aliquando simul & semel.

At natura non admittit ut duo corpora sint simul & semel.

Ergo angelus corpus non est.

Ad hæc argumenta quid respondeatur, videamus.

De I. Fallax est connexum: Nam si angelus est Spiritus creatus, est corpus. Spiritus enim creatus est corpus spirituale. Jam si aliquid est corpus spirituale, profectò est corpus. Ab Est Adjacentis tertii ad Est adjacentis secundi. Spirituale autem corpus hìc dicitur quod est naturæ subtilis & invisibilis, sive aëriæ, sive igneæ, sive utriusq;, sive cœlestis.

De II. Negatur assumptio: Angeli enim locum definitum & determinatum habent, hoc est, essentiæ suæ adæquatum. Si sunt in certo & terminato loco, extra quem nihil ipsorum reperitur, profectò sunt in loco superficie aliqua circumscripto.

De

De III. Ad assumptionem respondetur: Natura non admittit, ut corpus cum alio corpore homogeneo, id est, ejusdem naturæ, ut corpus animalis cum corpore animalis, sit simul & semel. At corpus angelicum & corpus animalis sunt diversæ naturæ. Illud enim perquàm subtile & tenue est. Hoc verò crassum natura carnea & ossea constans. Itaq; illud in hoc simul & semel esse potest.

Hæc omnia ferè disseruntur ex conjectura, & problematicè non dicuntur satis constantibus rationibus. Ac ego in eam opinionem adducor, ut putem nihil hìc propemodum certi asseri posse. Natura scilicet angeli ut entis à sensu nostro remoti penè ut lux ἀσύμμετρος obruit aciem humani intellectus, in secretioribus arcanis divinæ sapientiæ posita.

III.

Utrum Angelus sit in loco circumscriptivè, an definitivè, aut effectivè.

PErvagata est sententia, (de qua Scaliger exer. 359. sect. 5.) Intelligentias esse in loco non circumscriptivè, sed definitivè: Intelligentias propriè non esse in Loco, sed in suo Ubi. Intelligentiis convenire Ibietatem, seu Ubietatem, non Localitatem. Intelligentias esse in suo Ubi, non per circumscriptionem, sed per definitionem. Sic enim Scaliger: Si intelligentiæ sunt Entia finita, necesse est ut sint in aliquo Ubi. Ubi enim est circumstantia necessaria omnibus entibus præter Deum: &: Ubietas est affectus entis cujusq; necessarius, præter Deum: Sed quia sunt sine materia, non erunt in aliquo loco, sicut corpora: quorum extrema complent vacuum corporis continentis. Neque enim corpus, in quo Angelus habet suum ubi, est ejus locus: Nempe neq; dilatatur neq; densatur ad illius ingressionem. Et paulò pòst: Intelligentiæ dicuntur esse in loco æquivocè, atq; etiam plusquàm æquivocè, quia sunt in suo Ubi, non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per designationem (hoc est, per definitionem. Per definitionem hunc ad modum inquam, Ibi est: Hic non est. Quia enim est substantia finita, necesse est ut sit alicubi, nec potest esse ubiq;. Hæc sententia cum aliis multis videretur absurda, angelos effectivè seu per operationem tantùm in loco vel in suo ubi esse scripserunt. Certum au-

Probatur mentes separatas esse in aliquo Ubi, non ubiq; aut nusquam.

Probatur mentes non esse in loco.

An angelus sit in loco ratione operationis non per præsentiam, essentiæ suæ.

tum autem hoc est, Angelum alicubi esse, ut alibi non sit. At per operationem tantùm hìc vel illic esse, non per determinationem essentiæ falsum est. Non enim operatio est affectio comes entium necessarius, ut Ubi. Et si angelus esset in suo ubi effectivè, seu per operationem in rem externam, non posset in eodem Ubi aliam operationem exercere, sed variata operatione mutaretur Ubi. At sine ullo sui motu multas potest exercere operationes. Neque posset mutare Ubi, nisi mutaret operationem. Profectò si est in Ubi propter operationem, erit in hoc Ubi propter hanc operationem: sicut quæ sunt in loco, sunt propter terminorum præscriptionem: quæ sunt in hoc loco, sunt propter hanc præscriptionem. Adde, quòd prius est, Angelum esse in loco seu ubi suo, quàm operari in eo. Ad extremum, si angelus est in corpore per actionem, aliquando nusquam erit, cùm nimirum nihil operatur.

Sententia Scoti.

At ego statuo, Angelos esse in loco circumscriptivè. Moveor autem his rationibus:

1. Angelus est substantia circumscripta. Ergo debetur ei locus circumscribens & adæquans illam substantiam.

2. Quod locum mutat, loco circumscribitur.
Angelus & mens humana locum mutant.
Ergo loco circumscribuntur. Assumptio probatur ex eo, quòd ad inferos descendunt, præcipitésve aguntur, vel ad superos ascendunt. Hinc est quòd Gregorius Nazianzenus Angelos dicit moveri localiter, Orat. 2. de Theologia. Sic & Athanasius in epistola ad Serapionem. Hìc si objiciat Scaliger: At quomodo movetur angelus si corpus non est? & respondeat: Non movetur motu corporis mutando locum, sed motu rei incorporeæ extensæ mutando Ubi: Bodinus negaverit Angelum omnino corpus non esse.

Exer. 359. s. 12.

3. Loco definiri, & loco circumscribi sunt eadem.
Ergo etiam eadem sunt esse in loco definitivè, & esse in loco circumscriptivè seu commensurativè. Antecedens probatur 1. Quia Finitor seu Horizon circulus maximus dicitur, ex eo, quòd definiat, hoc est, circumscribat globi dimidium. 2. Quia Athanasius asserit angelos circumscribi loco. Et Damascenus ait: Intelligentiam dici circumscribi, ubi adest intellectualiter, & operatur, lib. 2. cap. 13. & 16. Distinctionem igitur quorundam Scholasticorum inter Circumscriptionem

ptionem & Definitionem ut vanam repudio. Sed quid audio? Angeli & hominum animi proprietate ſubſtantiæ ſuæ finiuntur. Ergo non neceſſe eſt eos finiri loco. Quò videtur pertinere iſtud Didymi Alexandrini de Sp. S. Ipſe Spiritus ſanctus ſi una de creaturis eſſet, ſaltem circumſcriptam haberet ſubſtantiam, ſicut univerſa quæ facta ſunt. *Nam ſi non circumſcribantur loco & finibus inviſibiles creaturæ* (ut angeli:) tamen proprietate ſubſtantiæ finiuntur. Spiritus autem ſanctus cum in pluribus locis ſit, non habet circumſcriptam ſubſtantiam. Hic reſpondeo 1. Didymi ἀπολογίαν (Nam ſi) eſſe hypotheticam, non aſſertoriam, ſeu certi aliquid alleverantem, quod quidem ad primam enunciati partem attinet. Sententia enim huc redit: Pone angelum loco non circumſcribi: at ſaltem eſſentiæ ſuæ terminis finietur. 2. Termini ſubſtantiæ angelorum & animorum humanorum duplices ſunt: Proprii & alieni: qui licèt diſtinguantur, conjunguntur tamen & quaſi amicè conſpirant. Proprii ſeu interni termini ſubſtantiæ angelorum patent: Quia ſunt angeli res finitæ. Alieni ſeu externi termini hinc colliguntur, ſeu potiùs intelliguntur, quia ſunt in certo Ubi, & certo ſpacio agunt illi Spiritus. Hi termini ſunt Loci.

Quod Scaliger Intelligentiis tribuit Ubi, non locum, eo nihil moveor: quia Ubi non eſt res diſtincta à loco. Mobile enim nihil acquirit per motum localem niſi locum: Sed acquirit etiam Ubi, alioquin motus localis non diceretur motus ad Ubi.

Locus & Ubi eadem res.

Ubi igitur non eſt res diſtincta à loco: quam ſententiam olim approbavit Herveus. Nolim te hic incidere in Tenebriones iſtos, qui plana per ſe obſcuritate involvunt. Committo tamen ſententiam meam alienis judiciis, ſed ſapientium.

IIII.

An Deus Univerſi ambitu & communitate comprehendatur? Seu: *An Omne Ens ſit Pars univerſi.*

NOn omne ens eſſe partem univerſi pro certo tenendum eſt, & ſententia Matthiæ Aquarii eſt explodenda, Deum eſſe partem Univerſi, ſeu Mundi, quæ etſi fortè cuipiam tum relatu, tum refutatu indigna videatur: tamen ptopter imperitiores uno eam ſubverto ſyllogiſmo.

In Metaph.

Scelus eſt cum rebus creatis opificem commiſcere.

Quod extra universum est, seu extra naturam, ut Principium ejus, non est pars ejus.

Deus est extra universum, ut principium ejus.

Deus igitur pars universi non est. Sed addo secundum:

Pars non potest esse infinita. Totum finitum.

Deus infinitus est: Universum finitum. Ergo Deus non est pars τȣ͂ παντός.

Quæ ergo sunt partes universi? Intelligentiæ, corpora cœlestia, elementa, corpora ex elementis composita.

Verùm objicis. Partes universi habent perpetuitatem, iisq; extantibus universum sit, necesse est.

At καθ᾽ ἕκαστα καὶ φθαρτά, id est, singularia & corruptioni obnoxia aliquando non erunt, & tamen universum erit.

Ergo singularia & corruptioni obnoxia non sunt numeranda in partibus universi.

Habebunt autem perpetuitatem mentes, corpora ætheria, elementa, homo. Hæc igitur tantùm sunt μέρη universi.

Quid nos contra hoc? Duo.

Primum: Quicquid est à mente architectatrice Deo procreatum, est singulare, sive id sit sensile, sive insensile: sive sit simplex, sive compositum.

Partes mundi sunt à Deo procreatæ.

Partes igitur mundi sunt singularia.

Secundum. Quicquid à Deo ut principio voluntariè agente dependet essentialiter, est suapte natura corruptibile.

Tota natura à prima causa pendet.

Omnes partes mundi à Deo, ut principio voluntariè agente dependent essentialiter (id est, in suo esse, & sui conservatione) seu à Deo habent esse, & conservantur ab eo: 12. lib. 1. Philosoph.

Ergo omnes partes mundi sunt in se, potentiaq; seu natura sua corruptibiles.

Hæc conclusio confirmatur hoc quoq; axiomate.

Unum tantùm ens est absolutè necessarium, nempe Independens, Deus gloriosus. Avicenn. 1. Philosoph. 1. com. 7. Ideoq; simpliciter immutabile & immobile. Reliqua omnia sunt δυνατὰ & contingentia (sicut alibi diximus) ideoq; mutabilia ratione naturæ dependentis.

Adde,

Adde, quòd Psal. 102. mundo quasi senium & vetustatem tribuit.

At enim, inquis, Angeli & animus hominis sunt immortales: Quomodo igitur tribuis eis corruptibilitatem? *Object.*

Respondetur: *Angeli & animus sunt immortales, non naturâ, sed gratia,* extra naturam ipsorum ipsis obtingente. Non corrumpuntur, quia habent conservatorem, seu conditoris manu ac potestate fulciuntur ac sustinentur, teste Damasceno lib. 2. cap. 3. Quanquam alii dicant immortales esse ex gratia, id est, ex liberali dono Dei, tametsi naturali, non autem ex se ipsis, ut Deus naturaliter ex se ipso immortalis est, immortalitatem à nullo sibi communicatam habens. Seu angelos & animum per potentiam quidem divinam ad non esse revocari posse, sed incorruptibiles & sempiternos esse, Dei voluntate, pietate, indulgentia, dono divino, quo factum sit ut non habeant in se potentiam physicam, seu naturalem inclinationẽ ad non esse. Vide Thomam Aquin. Quæstion. 5. supr. Boët. art. 1. & Gabrielem Biel in 2. sententiarum distinct. 2. quæst. 1. Ex horum igitur sententia, De propositione, partes universi habent perpetuitatem, responderi possit, ex parte tantùm eam veram esse, quòd partium universi & rerum procreatarum à Deo multiplex & varia sit natura: Quædam scilicet habeant firmam constantemq; seu sempiternam penè naturam: Quædam fluxam generationiq; & corruptioni perpetuò obnoxiam, ita, ut variis mutationum vicissitudinibus commutentur. Et tamen specierum perpetuatio est per novorum singularium suffectiones. Johannem vide Serranum in in Comment. in Timæum Platonis. Dico autem quædam habere naturam penè sempiternam, quia ut mundi initium, sic finis quoq; aliquis erit. χρόνος μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες ἅμα καὶ λυθῶσιν. Tempus cum cœlo factum est, ut simul facta, simul etiam solvantur. Plat. in Timæo, quamvis subjiciat declarationem, ἄν ποτε λύσις τις αὐτῶν γίνηται. Animus hominis est αἰώνιος quodammodo, non absolutè, quia etsi cœperit & principio quodam extiterit, non tamen desinet. *Solutio.*

V.

An Mundus vel Cœli sint interituri aliquando, ad nihilum recasuri, variationem perpessuri, ubi & de Mentibus, quæ creduntur materia vacare.

EX iis quidem, quæ humana poſſunt capi intellectione, eſt propoſitum ζήτημα, ſed valde dubium, ancipitemq; curam cogitandi animo afferens. Agam igitur de eo, ut veritatis ſtudioſus rationibus & teſtimoniis, non Tullianis pigmentis, ac ſtudebo brevitati ei, quæ res verbis æquet.

Primum videtur: *Cœlum ſicut & angelus & animus hominis, corrumpi non poſſe.* Quæ enim res neq; ex materia conſtat, neq; naturaliter cum materia conjuncta eſt, ſed immediatè, & non per aliud exiſtit, nec habet contrarium in ſeſe à quo corrumpatur, ea interire non poteſt. Remota enim causâ removetur effectum.

Cœlum, angelus, animus hominis eſt ejuſmodi res, quæ neq; materia conſtat, neque naturaliter conjuncta eſt cum materia, eſt forma ſubſtantialis per ſe, id eſt immediatè, & non per aliud exiſtens, nec habet contrarium in ſe, à quo corrumpatur.

Ergo cœlum, angelus, animus hominis interire non poteſt.

Breviter: Res ſimplex ſeu ſolitaria, & in qua non eſt privatio, non poteſt corrumpi. Cœlum, &c. eſt res talis. Zab. lib. de Natur. cœli cap. 6. Ergo nunquam eſt deſiturum. Ac rectè Scaliger: Hoc juſſit Deus, ut ſui iſti vicarii (cœli) præ ſe ferrent ipſius æternitatis imaginem: ex. 28. ſect. 1.

Mundus incendio finem habiturus.

Cœlum quantum. Ergo materiatum.

Sed de Cœlo reſpondent alii. 1. Damus ſua natura cœleſtia eſſe incorruptibilia: At corrumpi tamen poſſunt, & corrumpentur olim, Vi extranea, Dei ſcilicet, per ignem, & ita patientur à contrario non quidem interno naturaliq;, ſed externo. Vide Scalig. exer. 61. ſect. 5. 2. Cœlum eſt corpus. Ergo habet materiam. Si cœlum non habet materiam, quid eſt quod defert ejus quantitatem, qualitatem, motum? Opus eſt cœlo materia, eiq; hæc data eſt ad ſubſiſtendum forma, ad recipiendum quantitatem (propter loci mutationem) & figuram (propterea quòd corpus eſt finitum.) Scitè Scaliger. Corpus facere ſine materia, eſt facere inſomnium ſine ſomno. Exerc. 359. ſect. 11. Ibidem væcordes eſſe dicit, qui in cœlo materiam negant. Summatim: Cœlum habet materiam & formam. Nam ubi quantitas eſt & figura, ibi neceſſe eſt eſſe materiam. Eam verò ſubſiſtere ſolam nemo dicit. Informatur igitur. Alii de cœlo, animo, angelis ſimul ſic obratiocinantur (ut novo utar verbo Scaligeri:) Mundus, angelus, animus non eſt

Cœlum non eſt ἄϋλον.

à ſe,

à se, sed est factus ab infinito, cui non potest esse æqualis (essent enim duo infinita.) Est ergo finitus, nec habet potestatem, nisi finitam. Ergo est corruptibilis naturæ suæ conditione. Quod autem actu non corrumpetur unquam angelus & animus hominis, id Conservatori Deo tribuendum est, qui etiam Cœli durationem & perpetuitatem finire poterit, quando volet. Sed ad cœlum singulatim recido. Aristoteles in 1. de Cœlo, cùm, inquit, dico hoc cœlum, dico formam hanc in materia: & in Metaphysicis lib. 12. context. 10. concedit in cœlo, cùm habeat potentiam πόθεν, πῆ, id est, unde, quo, materiam loco mobilem. Ergo de sententia etiam Aristotelis cœlum habet materiam. Quæ igitur religio incessit quosdam Peripateticos, quò minùs assentiantur? Zabarelliani respondent, se hîc non deserere Aristotelem. Nam, inquiunt, materia de loco ad locum mobilis, quam Aristoteles cœlo tribuit, est Ens actu. Nihil enim movetur, nisi quod actu existit. At materia, quæ recipit formam substantialem, & cujus potestas talem formam respicit, non est ens actu. Non igitur dicitur loco mobilis. Orbis autem est Ens actu. Cœlestis igitur orbis est loco mobilis, & movetur. Putavit igitur Aristoteles nullam aliam materiam esse in cœlo, quàm Orbem, hoc est, per materiam loco mobilem intellexit orbem.

Objectio.

Sed Zabarellæ assectis responderi potest: Etsi propriè & per se materia non moveatur, moveri tamen eam per accidens, nempe dum movetur corpus, cujus pars seu principium est, & ab Aristotele dici materiam mobilem, quòd materia sit prima radix & fundamentum motus, & corpore seu composito moto ejus partes moveri necesse sit. Deniq; Aristotelem generatim affirmare libro 1. de Cœlo. text. 11. & lib. 8. 1. Philos. text. 31. & lib. 12. text. 10. omnes corporeas substantias constare ex materia. Primum igitur hoc ratum firmumq; esto: Cœlum aliquando à Deo mutatum iri, cum imponetur ab eo finis generationi. Sed qualis hæc mutatio? An ut cœlum ex nihilo factum est, sic in nihilum redibit? An interibit manente subjecto, quæ mutatio substantialis est? An deniq; variabitur, quæ mutatio accidentalis est, vulgò dicta alteratio? Hîc quid sentiendum, malim discere ab aliis, quàm dicere. Sed dicendum aliquid: in quo si quid affirmare videbor, illud affirmatum volo cum bona eruditiorum pace, quorum sto judiciis.

Solutio.

Corpus propriè subjectum motus. Aristot. 5. Physicorum.

Primùm

Quod μεταβολὴ cœli futura sit accidentalis, hoc est, Variatio seu ἀλλοίωσις.

Primùm Augustinus & nostra ætate multi Theologi sentiunt, Universitatem censorio die conflagraturam ita, ut non ipsius quidem substantia pereat atq; aboleatur, sed vitiosæ tantùm qualitates, quas peccati vanitas in universi molem importârat, deleantur, & ita fiat novum cœlum & nova terra. Ad hanc sententiam adhiberi potest comparatio talis: Sicut diluvio quidem ablutus fuit, sed non deletus mundus: sic igne seu incendio quidem purgabitur, sed non delebitur. Præterea in fine mundi talis futura est cœlestium corporum transmutatio, ut sint amissura vim suam per motum generandi res in inferioribus, & acquisitura etiam simul cum terra & elementis virtute divina decorem & dignitatem aliquam futuro statui beatorum congruentem.

Hanc commutationem seu alterationem cum perfectione conjunctam probabilem faciunt istud Rom. 8. Expectatio creaturæ renovationem filiorum Dei expectat, sciens quòd & ipsa liberabitur à corruptionis servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et locus Psal. 102. Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & quasi amictum involves eos, & mutabuntur. In hoc, inquit D. Hieronymus, perspicuè demonstratur, perditionem & interitum non abolitionem in nihilum, sed commutationem in melius sonare. Neque enim illud quod alio loco scriptum est, Luna fulgebit ut Sol, & septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Commutatio autem in melius est Restitutio & accidentalis perfectio, si propriè loqui velis. Junii versio habet: Ista (scilicet cœli & terra) peritura sunt, tu autem permanes. Ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea, atq; mutabuntur. Hæc mutatio erit velut interpolatio & renovatio, seu Instauratio. Dictum Paulinum docet, nolle Deum mundum perpetuæ maledictioni propter peccatum hominis subjicere, sed spem illi facere restitutionis, & creaturas à corruptione, cui nunc sunt mancipatæ, assertum iri in felicem illum statum ἀφθαρσίας, incorruptionis & integritatis, qui patefiet cùm filii Dei in gloriam evehentur. Subjicit Paulus: Neque verò mundus solùm, sed & ipsi qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi inquam apud nos ipsos suspiramus, adoptionem expectantes, id est, redemptionem corporis nostri. Id est: Si expectat mundus instaurationem velut suspirans, idq; non frustra, nos quoque

non pigeat ingemiſcere, & longè etiam certiores ſimus redemptionis noſtræ futuræ. Hæc comparatio ſi valet, ut certè valet, cùm noſtra redemptio non ſit futura ſubſtantialis corruptio aut deſtructio, nec talis erit mundi inſtauratio, & quaſi redemptio.

Objiciunt adverſarii: Perire ſignificare interitum eſſentialem.

Reſp. Nonnunquam etiam ſignificat interitum accidentalem. Eſt enim interitus ſeu corruptio vel ſimplex, videlicet ſubſtantiæ (non enim intelligo hìc per interitum ſimplicem annihilationem, ut Bodinus) vel ſecundum quid, videlicet accidentis. Cui non eſt notum iſtud poëtæ: *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas?* *Item Comicus: Periij. etc.*

II. Indefeſſi & ſempiterni motores ſunt corporum cœleſtium. Nunquam igitur hæc deſinent moveri.

Reſp. I. ἐνστάσει. Omnis motus naturalis neceſſariò fertur ad quietem. Res enim movetur ut tandem quieſcat, & ita perficiatur. Itaq; motus dicitur eſſe profectio ad perfectionem.

Cœleſtia corpora naturali motu agitantur.

Ergo cœleſtia corpora tandem ſunt conquietura, & ſua quiete rebus naturalibus finem allatura.

II. Corpori finito non convenit infinitus motus. Vis enim infinita daretur corpori finito, quod eſt ἀφιλόσοφον, & ἀθεόλογον. Cœleſtia corpora ſunt finita. Ergo eorum motus æterni & infiniti eſſe non poſſunt.

III. Antecedens nego. 1. Cùm enim cœleſtia corpora ſint naturalia, à propria natura & ſibi eſſentiali moventur. 2. Si cœleſtia ab externa intelligentia circumagerentur, motus eis eſſet accidentalis. Itaque aliquo modo ſaltem violentus. At non hoc: repugnat enim motus diuturnitas. Ergo nec illud.

Secundò, ſunt qui deflagrationem & diſſolutionem mundi ita accipiunt, ut tradant fore ejus Annihilationem, ut loqui ſolent. Eſt autem annihilatio oppoſita Creationi. Hæc igitur ut eſt rei productio ſeu ortus ex nihilo, ſic illa eſt rei in nihilum occaſus ſeu interitus: rei ad nihilum revocatio. Differt annihilatio à corruptione. In illa ne quidem materia prima remanet: ſed in hac materia manet. Nunc videamus horum argumentum, qui totius mundi in nihilum evaneſcentiam perſuadere nobis conantur.

Ioh. Bodin.

Et redit in nihilum, quæ fuit antè nihil.
Et redit in cineres quod fuit antè cinis.

Quod de nihilo creatum est, necesse est ad nihilum redire.

Mundus ex nihilo creatus est: quod liquet ex sacrarum originum libro Moys. & Avicenn. lib. 9. Metaphys.

Ergo eum in nihilum recidere oportet. Itaque materia prima aliquando in nihilum evanescet. Nam & ipsa ex nihilo condita est, Deo minimè coæterna.

Propositio major liquet. Quia nihil est tam naturæ consentaneum, quàm eo quicque modo dissolvi quo est connexum seu colligatum. Sic quæ composita concretaq; sunt ex elementis, in elementa redeunt.

II. Si nunquam interitu subjecti seu corporis physici aboletur materia prima, nunquam cœpit esse, seu ortum habuit.

At aliquando cœpit, sui ortus principium habuit, æterna non est.

Ergo aliquando etiam abolebitur. (Occidet in nihilum quod fuit antè nihil.)

Hæc argumenta mihi quidem funditùs subverti posse videntur, si contra utriusq; propositionem afferatur ἔνστασις Angelorum & animorum humanorum. Hi enim ex nihilo quidem sunt conditi, sed nec corrumpuntur, nec in nihilum redeunt, Dei sustentatione.

Ac verum quidem est, quæ occasura sunt, ea etiam ortum habuisse: Sed non necessaria est reciproca: Quæ ortum habuerunt, ea etiam esse occasura. Quædam enim Entia à fictrice & conservatrice mente Deo ἐπισκευαστὴν ἀθανασίαν (sicut ait Plato in Politico) seu sempiternitatem quandam precariam consecuta sunt. Interim extra dubium est, Deum hæc entia, si absolutam potentiam ejus consideres, posse annihilare. Id quod observandum contra eos deambulatores, qui Deum non plena libertate, sed ea naturæ necessitate obstrictum condidisse mundum opinantur, ut opus suum retexere, dissolvere, destruere, in nihilum omninò redigere nequeat. Nec laborandum admodum de propositionis probatione. Nihil tam naturale, quàm eo quicque modo dissolvi, quo est colligatum. Ea enim intelligenda est propriè, ut sonat, de Naturali & ordinaria colligatione & dissolutione, non de hyperphysica & extraordinaria, cujusmodi sunt ex nihilo ortus, & in nihilum interitus seu abitio. Antequam à secunda opinione abeam, hæc etiam placet annotare. 1. Nonnullos, qui eam tuentur, posito, quòd cœlestia corpora ex igni & aqua constent, ex Hebræorum traditione,

putare

putare illa priùs in ignem & aquam dissolutum iri, hæc rursus in nihilum. Sed ad horum sententiam, etsi minimè absurda sit, non aggrego meum judicium. Eos igitur, ut æquum est, bona cum gratia dimitto.

Cæterùm hujus sententiæ quædam divisio fit, hæc nimirum: Illorum enim qui ad eam propendent, partim opinantur talem fore Universi deletionem, ut pro hoc & ex hoc postea nihil à Deo procreetur & existat: Partim verò putant ejusmodi fore annihilationem, ut pro universo, sed non ex eo ut aliqua materia (cùm porrò esse desierit) novum postea cœlum & nova terra condatur atq; emergat.

III. Vetus forma mundi exuetur, & nova induetur in reliquam materiam, creante Deo.

Tertiò reliqui sunt multi, quos nihil necesse est annumerare, qui putant mundum aboriturum seu interiturum secundum qualitates & essentiam simul, ita, ut ex prima materia non pereunte novus hyperphysicè, id est, Deo creante, sit exoriturus. In interitu enim substantiæ forma rei corrumpitur integro & stante subjecto. Hanc mutationem substantialem (qualis etiam erit, cum anima hominis suum corpus, licèt in pulveres tenuissimos redactum, aliquando resumptura est) his verbis vir nonnullus exprimit. Ita corpora cœlestia novabuntur, ut hæc quæ nunc sunt intereant, aliaq; pro his & ex his oriantur potiora, ut ex embryone animal. Non delebuntur, id est, non in nihilum redigentur, sed perficientur ac donabuntur meliore specie & natura, ac exuentur volubilitate quæ ab imperfectione rerum ortui necessaria nascitur, quod quies sempiterna ejusq; appetitus æternitati & rerum omnium sabbato congruat.

Huc facere putant quod D. Petrus scribit, cœlos solvendos igni: & illud Ecclesiastici 1. Terra in æternum permanet: & 4. Didici quòd omnia opera Dei perseverent in æternum. Et hoc Psal. 148. Stabunt ea in æternum, & in seculum seculi. Item: ut amictum mutabis eos. Item: Cœli peribunt. Et hoc Apocalyps. 21. Vidi cœlum novum. Primum enim cœlum & prima terra abiit. Quibus tamen dictis etiam nituntur illi qui cœlum & terram in fine mundi volunt desiturum esse Tale, seu mutatum iri accidentaliter, non secundum substantiam & naturam. Sed inquis, annon sunt contraria & contrariæ probationes: Stabunt cœli in æternum: &: Cœli peribunt? Respondent tertiæ opinionis patroni: Non esse. Stabunt enim cœli in æternum, id est, non evanescent in nihilum. Peribit cœlum, non quòd simpliciter omninoque

 desinet,

deſinet, hoc eſt, in nihilum abibit ſed quòd deſinet eſſe hoc & tale, abiens in ſubſtantiam perfectiorem. Terra tamen & reliqua elementa Franciſco Valleſio ut facta ſunt in initio à Deo, ita perſeverabunt in æternum citra interitum ſecundum ſe tota, mutata interim in pulcriorem ſpeciem, etiamſi cœli μεταβολὴν ὑστερόδη comprobet.

Patroni hujus opinionis adducunt pro ſe hæc oraculorum ex Eſaiæ cap. 65. divinorum verba: Ecce ego creaturus ſum cœlos novos, & terram novam, neque commemorabuntur hæc priora, neque venient in animum.

Sed reſpondent alii: Creationem etiam in ſacris literis aliquando accipi pro mutatione qualitatum, ſeu alteratione hyperphyſica ſeu extraordinaria divinaq;, ut Pſal. 51. Crea in me cor novum. (Teſtis eſt D. Baſilius) vel locum adductum eſſe allegoricum, ejusq; ſententiam eſſe, Jehovam omnia inſtauraturum eſſe in Chriſto. Quod ſi utriſque objiciatur ex Ariſtotele: Cœleſtia corpora eſſe inalterabilia, ſeu variationis expertia, & ἄφθαρτα, non hoc ſimpliciter concedunt. Ut enim maximè dederint, Cœlum eſſe mutationis ejus expers, qua naturaliter poſſit corrumpi: Videtur enim plurimis in cœlo eſſe materia, in qua tantùm ſit potentia ad eam formam qua informatum eſt: cùm contrà materia inferiorum ſeu ſublunarium ſit in potentia ad plures formas: Etſi igitur maximè dederint: cœlum à nullo agente naturali ſecundum ordinarium naturæ curſum deſtrui poſſe: à Deo tamen mutari poſſe & mutatum iri aſſerunt. Omnia enim quæ facta ſunt, poſſunt interitum habere ac diſſolvi ab eadem cauſa, à qua facta ſunt. Ex Platonis Tim. Sed ego, cùm cœleſtia ſint compoſita ex potentia eſſentiali, & actu, & à Deo dependeant, corruptibilia ea dicere non vereor.

De ſolutione per ignem ἀπορεία hìc etiam aliqua eſt: Nam quidam, quæ, inquiunt, à Deo ipſo per ſe ac ſine cauſa ſecunda compacta ſunt, non poſſunt ſolvi ab alia cauſa, ſed ſolùm ab eo, à quo ſunt coagmentata. Quomodo ergo cœli ſolventur Igni? An non Ignis annumerandus cauſis ſecundis? cauſis naturalibus?

Verùm hic, ut reſpondeatur aliquid, ignis fortè non erit ſimpliciter noſtrâs, ſed divinus, & ſingulariter efficax: vel non delebit Sua Vi, ſed Divina, & virtute ea quam Deus tunc ei ad miniſterium exequendum appoſuerit.

De quiete etiam cœli quod dicunt eam in fine mundi futuram, dubium occurrit, quod enodandum. Si enim cœlum in fine mundi quiescet, seu cessabit à motu, motus cœli, qui nunc est, erit violentus, aut, si is est naturalis, cessatio à motu in extremo mundi, erit violenta, ideoq; non perpetua: quorum utrumvis dixeris, absurdo aliquo te involveris. Hic respondetur 1. Motum cœli in hac rerum constitutione & ordine esse naturalem, & quidem cœlum habere definitam propensionem ad motum tantùm, non etiam ad quietem, ex definita natura sua, sicut declaratur hoc 12. 1. Philos. & approbatur à Scalig. exer. 61. s. 2. *In Cœlo est perpetua privatio quietis: quia perpetuus ei habitus inest Movendi:* ut perpetua est privatio motus in terra, hoc est quies: quia non habet formam quæ eam inde amoveat. 2. Privari cœlum suo motu in fine mundi, esset cœlo violentum, si fieret ea privatio ab alia re ejusdem ordinis seu generis, id est, ab alia creatura, non verò à creatore. At privatio illa motus existet à creatore, qui quidem tunc Obedientiæ potentiam etiã cœlo novo indet. Sicut enim in omni creatura est potentia Physica ad propriam operationem: Sic in ea etiam potentia quædam, quam vocant obedientialem, est, per quam apta est obedire Deo in omnibus, quæ de ipsa facere Deus constituit, quam obedientiam intelligit Scaliger exer. 359. sect. 4. loquens de Intelligentiis orbes (ut putat) versantibus. Existimamus igitur nunc perfectionem cœli esse in Motu: olim verò futuram eam in Quiete.

An vacatio à motu quam habiturum est cœlum in fine mundi sit violenta nec ne.

Nec tamen nos fugit quosdam magni nominis Theologos esse, qui arbitrentur, tam quietem quàm motum esse cœlo naturalem, non quidem secundùm propriam peculiaremq; ejus naturam, sed secundùm communẽ ac universalem mundi perfectionem, & propter variũ Universi Ordinem, hoc est, cœlum habere naturalem ἔγκλισιν seu inclinationem ad alterutrum, ad motum vel ad quietem, ratione Ordinis, qui est in universo à Deo constitutus ac sancitus: Ordinem quidẽ qui nunc est ἐν τῷ παντὶ, propter vicissitudinem ortus & interitus rerum sublunarium necessariò exigere motũ cœli, ideoq; nunc naturaliter hoc moveri seu in orbem cieri. At quia in fine mundi futurus sit alius Universi ordo, sublata mutua sublunarium corporum transmutatione, omniq; generatione & corruptione, iccirco tunc (sic exigente ordine universi) cœlum naturaliter citra violentiã externam à motu vacaturum. Quam opinationem in medio relinquimus.

Verùm hîc quærat fortasse aliquis: Quid hi ipsi, qui statuunt παλιγγενεσίαν seu regenerationem mundi, non quidem naturalem, quæ est ἀδύνατον, sed natura longè superiorem, nempe quæ virtute divina peragetur, quid respondent Annihilatoribus, qui putant mundum hunc corporalem, quem conspicimus, & incolimus, periturum aliquando ita, ut pro illo alius longè præstantior de integro creandus non sit? Respondent: Potest quidem mundus ab autore suo Deo (est enim omnipotens & liberrima causa) in nihilum redigi, sed, quia Deus est Optimus, in nihilum revocare eum nunquam volet. Indignum scilicet censent Dei bonitate in nihilum mundum redigi, nec pertinere id ad Dei gloriam, quæ magis declaretur conservatione rerum in suo esse. Addunt etiam nonnulli, non posse istud fieri convenienter creaturis, quòd non habeant naturalem ad id potentiam & inclinationem: quod posterius tueri nolim.

Cœlum ut à Deo creatum est: sic ab eodem potest redigi in nihilum.

Sententia Thomæ Aquinatis.

Alibi enim disputatum est, posse entia finita, & finitam facultatem habentia, res creatas esse & non esse, nec omninò de iis potentiam aliquam ad esse & non esse (quam δύναμιν ἀντιφάσεως græcè Philosophi appellitant) negandam. Cave autem putes mutationem ἰδέας mundi & annihilationem in idem recidere, de quo suprà etiam aliquantulum monui. Ut enim mutatio naturalis formæ (formæ, inquam, quia vis naturæ materiam destruere non potest) in aliam perfectiorem non vocatur interitus, sed ortus. Ita neque dissolutio & mutatio quæ divina virtute fit, in substantiam præstantiorem vocari debet Annihilatio, sed & Creatio (non enim omnis creatio ex nihilo est) & Conversio (ut cum aqua convertitur in vinum à Christo) & Perfectio Divina (ut limi, id est, aquæ & terræ, ex qua fecit Deus corpus Adami, non fuit Annihilatio, sed Perfectio.) Adeò hoc verum est, ut Scaliger etiam non vereatur dicere: Fit canis è canino semine per perfectionem. Exer. 6. sect. 2. quæ tamen Physica generatio est. Ita igitur dissolvere condita, ut mutentur in potiora, in quibus etiam priorum virtutes & perfectiones eminenter maneant, id non est à bonitate divina alienum.

Finita facultas aliquando defectura est.

Abitio corporum in alia perfectiora non est annihilatio.

Huc subsidio advocant, quod Deus apud Platonem in Timæo inquit: Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vinctum est solvi potest, sed mali est quod pulcrè compositum est, seq; benè habet velle dissolvere. Non dissimulo hîc loca

adducta

adducta ex 1. & 3. capite Ecclesiast. parvi momenti me putare. 1. enim cap. dicitur: Generatio una (hominum) abit, & altera advenit, quamvis terra in seculum permaneat. Homines & terra hìc comparantur dissimiliter. Homo non permanet immotus ut terra, quæ quàm diu seculum est, seu perpetuò ad finem usq; mundi permanet. Dictum igitur non simpliciter, sed κατά τι, id est, comparatione hominis vani & vel momento deficientis. 3. cap. dicitur: Novi quicquid facit Deus, id esse semper. Simplex enim dicti hujus sententia quibusdam interpretibus hæc est: Quod Deus facit, nunquam secus est, quàm Deo placuit. Hac interpretatione stante facilis est solutio objectionis. Quod Deus facit, id est semper. Ergo sempiterni erunt asini, equi, canes, leones, nec opus est cum quibusdam doctissimis viris respondere, Equos, leones, & habere suam æternitatem, seu potiùs constantiam, primùm in Exemplari Divino: deinde in homine re perfectiori ferè, ut trigonus est in tetragono.

Ad extremum, quæras fortasse, quid responderi possit patronis ἀλλοιώσεως, id est iis, qui volunt cœlum & terram incendio purgatum iri, cum ajunt: *Figura mundi præterit*, inquit Apostolus 1. Corinth. 7. (Figura accidens est) *non* inquit, *Natura* (quæ substantia est.) Responderi potest, hanc propositionem non habere vim exclusivæ, ut sententia sit: Tantùm figura mundi præterit, sicut hæc: Generatio in fine mundi cessabit, non est eadem cum hac exclusiva. Tantùm generatio in fine mundi cessabit. Cessabit enim etiam Nutritio cum accretione, & alia quæ ad vitam animalem seu hominẽ ψυχικὸν pertinent. Scopus & subjecta Apostolo materies spectanda est. Monet, ut qui utuntur hoc mundo (id est iis rebus quas Dominus nobis hìc concedit) ne abutamur, addita ratione: Quia σχῆμα, id est habitus, species, figura hujus mundi præterit: id est, nihil hìc est solidum & firmum, omnia mundi vana. Videtur autem allusisse ad scenas, in quibus aulæa momento complicata novam faciem reddunt, & quæ spectantium oculos tenebant, mox à conspectu auferuntur.

Atq; hæc sufficiant de postrema sententia, verè totam hanc molem mundi perituram esse, ac pro ea alia longè pulcrior creatum iri nullis mutationibus obnoxiam domum æternitatis futuram. Ego Annihilatores desero. De primæ autem & ultimæ sententiæ addictis non pos-

sum ju-

ſum judicare, niſi illud mihi certè perſuadeo, utroſq; diſputare probabiliter. Neutrò equidem inclino. Tu, quos judicaveris melioribus & gravioribus niti rationibus eos ſequitor. *In dubia enim re convenit tibi eſſe ſimili libræ ſeu ſtateræ, quæ ad illam lançem, in qua majus eſt pondus, inclinat.*

Rationes quæ majus pondus & vim habent aliis præferendæ.

TABULA.

Mundus & διάλυτος eſt, & mutabitur	*vel Alteratione, ut purgatione per Ignem.*	
	vel Corruptione, hoc eſt, formæ eſſentialis interitu.	
	vel Annihilatione: ut annihilato ſuccedat novus	*Alius.*
		Nullus.

Alius) Hoc ſentit Scaliger exer. 61. ſect. 5. Ibi enim ait: Ipſam etiam materiam cœli incendio conſumptum iri, & deinceps novum cœlum ei ſubiturum. Eadem ſententia etiam eſt quorundam Theologorum.

VI.

Utrùm cœlum, cœleſtiáve corpora ſint calida, frigida, ſicca, humida, actu ipſo: an efficientiâ ac poteſtate tantùm? Exempli cauſa: An Sol inſito ſibi calore calefaciat?

NObilis quæſtio eſt, quam in medium voco: *Utrùm cœleſtia corpora, caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem in ſe habeant, ut ignis calorem, aqua frigus: an virtualiter?* exempli cauſa: Utrum Sol calefaciat & ſiccet formaliter: an tantùm cauſaliter: utrùm tantùm efficientia ac poteſtate, an verò actu ipſo ſit calidus. Neq; enim neceſſe eſt ut quod calefacit, actu ſit calidum: cùm in multis rebus Naturæ Virtuales, quas vocant, qualitates, negari non poſſint. Hæc quæſtio ut rectius percipiatur, genus loquendi Philoſophicum declarandum eſt.

Calefacere igitur dicitur aliquid ἐνεργείᾳ, vel δυνάμει: Ἐνεργείᾳ, hoc eſt, actu calefaciens, eſt, quod qualitatem caloris in ſe habet formaliter (hoc eſt, ita, ut calor realis vel ab eſſentiali forma ſeu natura corporis

certi manet, & naturâ insit, vel ab externa causa inductus sit in subjectum, & sit accidentalis forma, hoc est, adjunctum corporis illius.) Et per illud πάθος in alio subjecto calorem producit: ut ignis aquam calefaciens.

Calor in igne est, & ab igne: At calor à Sole est, non in Sole, inquiunt Peripatetici.

Δυνάμει verò seu virtute calefaciens dicitur, quod ipsum κατὰ πάθος (secundum affectionem) non est calidum, sua tamen δυνάμει seu potentia calorem in alio subjecto efficit, seu aptum est in aliis calorem producere: Piper actu ipso non est calidum, sed frigidum κατὰ πάθος (secundum affectionem) & formaliter: & κατὰ δύναμιν tamen seu effectionem est calidum, id est, calefacit: Aqua τῇ φύσει seu naturâ frigida est, & frigefacit: τῷ πάθει seu affectione & per accidens (afficitur enim & patitur ab igni) est calida, & calefacit. Vinum effectione seu δυνάμει calidum est, quia calefacit corpora quæ potat, etsi gustatus frigidum id esse sentit. Sensus corporis est à cerebro: at ipsum cerebrum non sentit formaliter.

Declaratis terminis de re ipsa videamus: Aristoteles ut facilius æternitatem mundi obtineat, negat cœlestia ut solem habere calorem, seu esse formaliter calida. Putat autem calorem eorum oriri à motu, quemadmodum si ligna lignis, lapides lapidibus atterantur, calorem à soliditate ipsa & corporum concussione ac collisione concipiunt. Sententiæ hujus fulcra hæc sunt:

Non calor in cœlo est, verùm generatur ab illo.

I. Cœlum non est naturæ elementaris, sed corpus quintum. Ergo non est calidum, seu igneum.

II. Si sol formaliter esset calidus, & hac ratione calefaceret, magis in hyeme quàm in æstate calefaceret: sed hoc non fit, quod experiundo novimus omnes. Ergò antecedens falsum. Connexum probatur.

2. In hyeme sol nobis propior est, cùm sit in perigæo: in æstate autem remotior, cùm sit in apogæo.

3. Si sol esset formaliter calidus ut ignis, ideoq; calefaceret, media regio aëris, ut quæ illi propior sit, magis & prius calefieret quàm infima, quæ remotior est. At non hoc: Ergo nec illud.

4. Si sol naturaliter actuq; calidus esset, & rectis & obliquis radiis calefaceret.

At non nisi reflexione vel fractione radiorum, ac potissimum re-

ctorum calor excitatur, certum non est ardentissima æstate mediam regionem aëris ingenti frigore rigêre.

E. Sol actu calidus non est, seu calor non cietur ab intima ejus natura.

5. Si Sol formaliter esset calidus, etiam pateretur, & generatim si quid esset in cœlo nostrarum qualitatum, cœli natura à nostrati natura pati posset. Hoc autem absonum. Ergo & illud.

6. Si cœli partes quædam calidæ sunt, etiá erunt quæ frigidum suscipere poterunt, ut si Sol est calidus, Saturnus erit frigidus, & in cœlo erunt contraria formaliter. Hæc tamen argumenta non sunt demonstrationes: sunt rationes Dialecticæ, non lectissimæ.

Responderi enim ad 1. potest: Non sequi, cœlum est quinta essentia. E. non est calidum: Sed hoc: cœlum est quinta essentia: E. est nullum elementorum: neq; [a] est ignis, neq; aër, neq; aqua, neq; terra. Vide Scalig. exer. 307. sect. 20.

a) Hic an rectè amoveatur è censu primorum corporum seu elementorum, nunc non quæritur.

Ad 2. Si sol ideò non est calidus, quia quæ longiùs absunt, magis calefacit, quàm proxima, eadem ratione ignis calidus non erit. Sed falsum consequens. Falsum igitur quoq; antecedens.

Connexum probo: Quia igne solida corpora longiùs posita magis incalescunt quàm aër igni propior, propterea quòd aëris tenuitas calorem retinere & tueri non potest, ut corporis alicujus soliditas.

Ad 3. Sol non calefacit sensibiliter, nisi solidioris corporis objectu & radiorum reflexione. At media regio aëris frigida & à Sole & à terra longius abest, quàm ut à radiis Solis ex reflexione incalescere possit. Habet hæc regio simplices tantùm radios (qui per eam rectâ sine reflexione feruntur) unde parum calefit. Infima verò geminatos, unde valdè calida redditur.

Vis simplicium radiorum valde debilis.

Plus lumen calefacit propter reflexionem seu geminatam reciprocationem.

Ad 4. Radii Solis etiam rectâ projecti & simplices aliquid efficiunt caloris, etsi non multum. Quomodo enim tantam haberent vim duplicati, id est, descendentes & ascendentes, si nullam haberent simplices? Non enim calefaceret lumen reflexum, nisi simpliciter haberet in se principia calefactionis.

Ad 5. Propter peculiarem nobilitatem & excellentiam virium cœli natura à nostrati pati nequit.

Ad 6. Hic accipitur controversum pro confesso, sumitur quod probari

bari

bari debet. Ut enim ignis ita eſt calidus, ut non ſit aliquando frigidus: Sic ſideribus perpetuus eſt calor, ita ut eam non permutet unquam cum contrario frigore, omnis enim lux eſt calida. Quòd autem Saturnus dicitur frigidus, luna frigida, intelligendum eſt comparatè pro leviter calidus. Auguſtinus ſentit, pleraq; ſidera eſſe calida. Hæc breviter ita Peripateticæ Philoſophiæ candidatis reſponſa ſunto. Uni Deo exquiſitè nota Veritas.

VII.

Ejuſdem quæſtionis cum προσθήκῃ: An Sol motu calefaciat.

ARiſtoteli non calor in cœlo eſt, verùm generatur ab illo: At Cardano eſt calor in cœlo ſimul, & generatur ab illo.

Has duas tantorum virorum contrarias ſententias pono in medio.

In Ariſtotelis ſententiam abit Scaliger: Cœli enim, inquit, ſine qualitatibus efficiunt qualitates. Exerc. 75. ſect. 3. A non calido fit calor. exer. 74. ſect. 1. Exer. eadem: ſect. 2. Calefactio primò & per ſe ſine ullo medio competit Soli tanquam primo corpori caloris authori, non tanquam ſubjecto primo. Et: In cœlo neque calor, neque aſperitas, neq; aliud quippiam tale ineſt. Exer. 61. ſect. 3. Ac contra Cardanum ſic infert deductione ad abſurdum: Si pones calorem in cœlo formaliter, ut loquuntur, non effectivè tantum, pones etiam frigus. Ergo erunt in cœlo contraria formaliter. Igitur erit aliquod genus quod de Sole ac Saturno, verbi gratia, frigido prædicabitur, tanquam de affectibus à certis differentiis prodeuntibus. Et hæc eſt tua divina Philoſophia virorum omnium ſubtiliſſime. Erunt enim inter ſe Sol & Saturnus agentes & patientes. Quæ abſurditates non premunt eos qui calorem in cœlo agnoſcunt ad effectum, non pro affectu.

Cardanus Scaligero cœlum calore ſui cerebri calefacit. exercit. 23.

Objicit ibidem Cardano inconſtantiam & contradictionem, eo ipſo quòd alibi Cardanus ſcripſerit, Stellas omnes extraneæ qualitatis eſſe expertes. Aſſumit autem tacitè Scaliger, calorem eſſe qualitatem extraneam. Itaq; hinc concludit: Stellas eſſe expertes caloris.

Object.

Solut.

At quomodo à non calido fieri poteſt calidum? Hìc reſpondet Scaliger è nono divinæ ſcientiæ: *Multa efficientia non eſſe univoca,* (hoc eſt, ejuſdem naturæ) *neceſſariò cum ipſo effectu*: ut aliquis poteſt eſſe calor à

 motu,

motu, ſed motus non eſt calidus. Motus igitur non eſt efficiens univocum cum calore effecto.. Deus primò creavit calorem & frigus. At Deus neq; calidus neq; frigidus eſt. Si res calida calorem generat, univoca generatio eſt, id eſt, cauſa & effectum ſunt ejuſdem ſpeciei. Si res non calida calorem generat, æquivoca eſt generatio. In hoc tamen uno diſſentit Scaliger ab Ariſtotele, quòd Sol motu calefaciat. Videtur enim ipſi Solem ſi non moveatur, ſed ſtet, magis calefacturum, idq; ait manifeſtius eſſe ex radiorum fixione in rem ſtabilem. Speculum inquit, cavum ſi non moveatur, poteſt ignem concipere. Sin moveatur, ignem non concipiet. Nihil autem differt ad hoc probandum, résne calefaciens an calefacienda moveatur. Calefacit igitur Sol per ſe.

Et: Non credimus quod in ſecundo lib. de cœl. ab Ariſtot. proditum eſt: Calorem & lumen à ſtellis attrito aëre & earum motu provenire. Rerum quidem mutationes à motu confieri arbitror: calorem vel attritione vel motu cœli fieri, falſum puto. *Quin Solem ipſum, ſi non moveretur, majorem æſtum atq; etiam incendia allaturum.* Hoc etiam ſcriptum eſt in 36. quæſtione ſectionis quintæ: Quærit enim ſtantes in Sole quare plus calefiant quàm ſi moverentur: cùm tamen caloris author motus ſit. Nihil autem differt, ſive Sol, ſive quod calefit, non moveatur. Cauſa cœleſtis motus eſt, ut vires ſuas aſtra cum ſubjectis partibus aliis atq; aliis communicent, non ut calefaciat. Ex. 23. ſect. 1. & 74. ſect. 2.

At verò, inquis: Si Sol aërem per ſe calefacit, videtur ab eo calefieri etiam id quod propius eſt. Propius autem ei eſt cœlum quàm aër. Cœlum igitur etiam à Sole calefiet. Hoc autem eſt abſurdum. Non enim ſubeunt alterationes cœleſtia corpora, præter eas, quæ à motu proficiſci aut motum conſequi poſſunt. Hic reſpondetur ad propoſitionem ab alumnis Ariſtotelis: Si Sol per ſe calefacit aërem, calefaciet etiam id, quod propius eſt, ſcilicet ſi aptum id natum eſt recipere calorem, vel ſi calor aptus natus eſt id calefacere. Non enim quælibet affectio recepta in quodlibet corpus ipſum afficit: ſed illud tantùm quod apta nata eſt afficere, vel quod aptum natum eſt affici. Nam, verbi cauſa, etſi ignis & actu calidus eſt ſemper, & urit, tamen lapis pyrimachus, qui putatur Ariſtotelis ἄνθραξ eſſe, nihil ab igni patitur: & ignes in caminis à Salamandris extinguuntur. Luna accipit à Sole radios, iiſdemq; calefacit, præſertim ubi plena eſt (teſte etiam Ariſtotele) ſed ipſa non calefit.

calefit. Stupefit piscatoris manus per arundinem. At ipsa arundo à torpedine non stupefit, quia non est apta pati. Ad motum autem sustinendum requiritur materies non inepta, non aliena. Sic calor est accidens à corpore cœlesti generatum, ac per cœlum, at aërem, quem calefacit, delatum, eiq; impressum, sine ullo cœli πάθει, seu absq; ulla cœli affectione.

Idem Scaliger Primum subjectum caloris constituit Elementum Ignis, Exer. 74. sect. 2.

Sed Cardanus ab Elementorum censu Ignem amovens sentit *Calorem inesse cœlo, ut qualitatem essentialem nobilissimam*: etsi in hac disputatione non satis sanis verbis sententiam suam effert. Dicit enim Calorem esse substantiam radii sideris, quod refutat Scaliger exerc. 65. sect. 1. Sed Cardani mens est, radii necessarium eiq; conjunctissimum & individuum comitem esse calorem, & lumen esse vehiculum seu ὄχημα caloris. Ait enim paulò pòst: Lumen est lucis similitudo, quæ claritatis in se & caloris substantiam adeò habet annexam, ut propè nihil aliud sit. Neque verò Cardanus primus fuit qui in cœlo calorem poneret. Idem ante eum non veriti fuerunt facere quidem ex Arabibus, Albumaron Babylonius, Johannes Picus Princeps Mirandulæ lib. 3. cap. 4. contra Astrol. quos sequitur Johannes Bodinus in Theatro Naturæ lib. 5. pag. 179. Ego in hac controversia sæpe cogito relinquendam esse ἰδιοκρασίαν quandam corporibus ætheriis, quòd scilicet talis sit natura earum, quales in inferioribus qualitates efficiunt, quæ tamen propter perfectionem constantior est, nec ita vicibus mutationum objecta ut sublunaria corpora. Videant autem qui hanc sententiam sequi volent contra Arist. ne cum quodam, cujus honori parco, ineptè & ridiculè sic adversus eum argumententur: *Si calor aliquis est ex motu ætheris & cœlestium corporum, Luna, cujus motus est celerrimus, erit calidissima. At hoc repugnat testimonio experientiæ. Ergo nullus calor est ex motu ætheriorum.* Prædicabile habemus & gloriandum argumentum: scilicet: Si Aristoteles hoc audiret, propositionem negaret, ac diceret: Nunquam scripsi, imò ne somniavi quidem per febrim, ex motu Solis incalescere Solem, aut ex motu lunæ velocissimo calefieri lunam, cum cœlestia corpora calefieri, frigefieri, humectari, siccari omninò negem, sed docui cœlestia calorem generare & conservare in mundo inferiore, & aëra calefacere

Cœlum Cardano calidum.

Object.

Solut.

per motum: quod quomodo fiat explicat Zabarella lib. de calore cœleſti cap. 2. & 3. & Scalig. exer. 16.

Hoc verò magnam habet ſpeciem probabilitatis, & ſolutu difficilius eſt: Si calor in his inferioribus eſt à motu cœleſtium circulari, unde frigus? unde humiditas? unde ſiccitas? Hæ certè qualitates ex motu demonſtrari non poſſunt. Hac difficultate ita urgetur Zabarella, quantumvis Philoſophus acumine ingenii nulli cedens, ut quid dicat vix habeat. Quomodo inquit, à cœli motu generetur calor dicere facilè poſſumus. De frigore autē non ita facile. Sed de ſicco & humido difficilimum: & tamen Ariſtoteles cap. 4. lib. 1. Meteorol. aſſerit elementa à motu cœli & ab immobilitate ſeu motus privatione reddi & calida, & frigida, & humida, & ſicca. Et cap. 1. ejuſdem: Omnem hujus elementaris mundi virtutem à cœleſti motu gubernari. Id explico: Dicere poſſumus & probare dialecticis rationibus, calorem aliquem fieri motu propter aëris attenuationem: ſeu ex aëre moto atq; eliſo attenuatoque calorem fieri, qui ſi procedat, ad ignis tranſeat ſubſtantiam, idque propter partium attritionem: Frigus fieri remotione à motu, quod patet in aqua & terra. Sed quomodo materia inferioris mundi fiat humida vel ſicca à motu, non liquet. Ego cùm maximis hic difficultatibus adhæreſcere cogar, niſi abeam à ſententia Ariſtotelis, quæ eſt: Elementa eſſe quidem poteſtate calida, frigida, &c. ſed actu recipere has qualitates à motu cœli orbico, & negatione illius motus, iccirco ei extrema ſalute dicta ſtatuo primas qualitates, caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem eſſe elementis ita naturales, ut ipſorum formas conſequantur, ſeu ab ipſorum propria natura emanent: Verbi gratia: *formam aquæ οὐσιώδη, ſeu δύναμιν refrigerandi & humectandi ἐνεργητικὴν, producere in ſua materia qualitates duas ſenſiles, frigiditatem & humiditatem:* Quæ quidem ſententia mihi communis eſt præter alios cum Scaligero exer. 23. & Jacobo Scheckio, quem, ſi placet, vide in Commentar. in Categor. Ariſtotelis pag. 43. & verior Ariſtotelea & Zabarelliana, cùm magis ei faveat à natura rerum dictata ratio: etſi interim non negem, à cœlo etiam eſſe aliquid adventitiæ ſeu accidentalis elementorum qualitatis: ut, ſi ignis vel aër in ſuo loco à cœli attritione calidus efficitur (quod ab Ariſtotele dicitur in Meteoris,) calor in igne vel aëre exiſtat per accidens. De qua re alibi diſſeretur. Eam hìc excutere, nunc otii noſtri non eſt.

VIII.

An Formæ ſint Communicabiles & Multiplicabiles?

INgredimur hìc jucundam ſimul & utilem ſcholam de Formæ Communicabilitate: An & quomodo forma ſit communicabilis? Primum non videatur cuipiam communicabilis, tum quòd unius propria ſit, tum quòd intelligentiarum, quæ formales eſſentiæ dicuntur, nulla prorſus ſit communicatio & multiplicatio, & deniq; mea in hominis ſingularis forma non poſſit cum alio communicari. Attamen contrà cernimus propagationem ſpecierum, etſi ſubinde intereant ſingularia. Cùm enim forma per ſe ſit corruptibilis, & à materia etiam divellatur ac diſſipetur, ne, ſi in uno tantùm ſingulari eſſet, penitus intercideret, periret & evaneſceret, natura provida fecit, ut in multa ſingularia variè fundi & propagari poſſit, ut eam ſic aliquo modo ab interitu vindicaret.

Ut igitur quæſtioni propoſitæ ſatisfiat, & ne errore aliquo implicemur, initio diſtinctio facienda eſt inter formam eſſentialem & accidentalem. Illa interna rei cauſa eſt, & ſolet in ſcholis vocari præcipua pars compoſiti. Hæc verò adjunctum ſeu accidens.

Forma eſſentialis eſt triplex: Singularis ſeu Individua: (Numerica à peripateticis dici ſolet.) Specifica, εἰδοποιός, & Generica.

Præterea Forma eſt Materialis vel Immaterialis. Illa dicitur quæ eſt unita & immerſa materiæ, vel certè ſenſili materiæ. Hæc, quæ prorſus vacat materia, vel ſaltem ſenſili. Illius exemplum ſunt formæ elementares. Hujus, Intelligentiæ. Dico diſertè: Saltem ſenſili, quia formas, quas ab omni materiæ ſocietate ac contagione ſegregatas putat Ariſtoteles, corporeum quiddam habere, & angelum præter intellectum ſubtiliori quadam & inviſibili eſſentia conſtare, atq; ita eſſe compoſitum quid: Deum autem ſolum ab omni corporea contagione liberum, omniſque materiæ immunem eſſe, probabiliter diſputatum meminiſti. Sunt & formæ quædam artificioſæ, quæ inditæ ſunt materiæ ab arte ſeu artifice: quædam mathematicæ, quæ à materia ſunt abſtractæ per phantaſiam. Eas nunc ſeponimus, cùm nihil ad noſtrum inſtitutum attineant. Jam ponamus axiomata:

I. Forma abjuncta per essentiam à materia suapte natura est ἀκοινώνητος, id est incommunicabilis.

Non enim est prædita materia dividua.

Itaq; *Angelus non est multiplicabilis:* & falsum: *Omnem formam esse multiplicativam sui,* nisi ad certum genus restringatur.

II. Forma materiæ unita est pluribus communicabilis secundum naturam suam. Materiam enim habet dividuam, in qua cum pluribus communicari potest. Dico disertè secundum suam naturam, id est, quatenus est forma. Quia significat essentiam rei, in cujus, ut universalis cujusdam, participatione plura singularia seu ἄτομα conveniunt: & eadem extra animam existens non potest esse nisi una numero, & facere singulare seu individuum hoc, idq; ab aliis separare: quæ sententia Zabarellæ est lib. de constitut. individui cap. 6. Aliquid etiam huc faciens habet Avicennas 2. lib. de cœlo, tom. 92.

III. Forma singularis seu munerica est prorsus incommunicabilis. Sic hypostasis mea alii est ἀκοινώνητος.

IV. Specifica est communicabilis multis singularibus.

V. Generica multis speciebus. Universale enim est quod natura sua aptum est esse in multis.

VI. Naturæ seu essentiæ animatæ, quæ generant per semen, communicant suas formas cum aliqua parte materiæ. Id est, pars materiæ ex eo quod generat ingreditur in id quod gignitur, & fit ejus pars. Hinc generationem viventis definit participatione Aristoteles cap. 14. lib. de Vita & Morte.

Hæc communicatio si fiat per congressum seu coitum maris & fœminæ, quod generatum est, Filii nomen accipit.

VII. Quædam naturæ ut inanimæ communicant formas sine aliqua parte materiæ, non tamen sine dispositione seu conditione physica, quæ est in materia. Quo enim modo forma est in agente, eodem recipitur atq; est in patiente: ut Ignis generans ignem in ligno generat ipsum cum calore, levitate, & similibus qualitatibus realibus, quas ignis agens habet. Sic etiam accidens & qualitas, ipse calor, realem in alia materia calorem producere dicitur. Color etiam communicat visui speciem seu formam spiritalem (ut vocat Zabarella) cum quantitate, figura, situ, numero, motu, quiete rei visæ, sine materia.

VIII. Quæ-

VIII. Quædam formæ ut accidentia, communicant se & sine materia & sine conditionibus physicis materiæ, id est, non dant formam suam secundum similem dispositionem quam habet in agente: Recipitur autem forma non sine corporali & materiali organo: ut: Visilis qualitas, Color, qui in tecto lapideo est, non insinuat seu communicat se organo optico seu aspectui unà cum frigiditate, duritie, densitate materiæ seu lapidum (id est, oculus sentit quidem colorem per speciem, sed non frigus, duritiem, densitatem lapidum) sed recipitur ab eo spiritaliter, non habens ferénsve secum frigus, duriciem, densitatem. Calor speciem spiritalem in medio & in organo sensus tactus producit, ut placet Zabarellæ (placet inquam Zabarellæ: Quia aliis tactus organo aliquo modo physicè communicari videntur primæ qualitates tactiles, quòd cutis à calore fiat calida, imò etiam simul humida, si cum calore humiditas juncta fuerit, à qua quidem sententia ego non abhorruerim admodum.) Reliquæ porrò omnes sensiles qualitates, & accidentia omnia sensilia per se agunt spiritaliter, multiplicant se per speciem: ut quantitas, non quidem, ut cum Zabarella loquar, activa est actione reali, hoc est, productiva alterius similis quantitatis, at spiritali tamen activa est. Cùm enim sit de numero sensilium per se, speciem suam producit, quod non est propriè aliam quantitatem producere, sed sui ipsius imaginem quæ ipsammet repræsentat. Nam ut natura caloris est apta ad alium calorem in alio generandum: Sic suapte natura aptæ sunt sensiles qualitates in medio & in organo speciem suam producere & multiplicare. Ita molle in sensu tactus agit spiritaliter. Ita durum non imprimit in carne, cùm illud tangitur, duriciem realem & materialem (id est, caro non fit dura,) sed spiritalem. Huc fortasse rectiùs retuleris, quod ascripsi VII. nempe quòd color visui communicet speciem visilem cum cōditionibus quibusdam immaterialibus, quantitate, figura, situ, numero, motu, quiete, rei visæ.

Brunonis Sidelii sententia.

IX. Ultimò: *Intellectus recipit* non quidem sensilem, sed *intelligibilem formam:* Phantasma enim sensile ut moveat intellectum, oportet transferri de gradu inferiori sensili ad excellentiorem νοητὸν, talem igitur formā *νοῦς, simpliciter absq; materia recipit: idq; absq; corporeo organo.* Talis est imago lapidis in animo, quæ idem quidem est per repræsentationem, quod est lapis, sed non formaliter. Lapis enim realis substantia est. Imago verò lapidis, qualitas.

Porrò in hac disputatione utilis etiam est distinctio Ejusdem & Diversi: Exempli causa: Cum animal generat per semen, fit aliud numero vivens, ejusdem cum generante speciei. In communicatione illa, cùm ignis producit ignem & calorem in ligno, productum à producente differt numero, sed non specie. Producta enim est forma realis ab alia reali simili. Sic quidam volunt in ferro ignito seu candenti gladio esse qualitates & vires effectas ab igne, seu ignem non proprium ipsiq; inhærentem ferro calorem & splendorem communicare, sed alium vi sua calorem in ferro producere, quo ferrum, non ignis intrinsecus & formaliter fit calidum. De qua opinione hic non pugno, nec hujus loci est de ea velitari. Illud difficile explicatu videtur, cum definiat Aristoteles Generationem viventis participationem primam animæ nutrientis cum calore naturali, quomodo generans communicare possit aliquid de sua nutriente anima. Nam & hæc manet integra in materia sua quam informat, nec aliam simul cum hac informat. Hic ego sequens Zabarellæ vestigia video respondendum generans ei quod generatur de anima sua θρεπτικῆ communicare aliquid κατά τι, scilicet quatenus exhibet semen animatum seu præditum vitali facultate. Hoc igitur in vivente, à quo abscissum est, genitum habet vim generatricem alterius viventis Similis.

Object.

Respons.

IX.

An Corporis essentia naturaq; sit longitudo, latitudo, altitudo, seu crassities?

Crassiusculè (de sententia Thomæ & Scoti) dictum esse videtur à Scaligero: Spiritus omnibus Philosophis, Medicis, Oratoribus corpus est, id est, materia & forma. Propriè enim materia & forma nexæ constituunt corpus, sunt principia corporis. Sed & ego quod dictum est à Scaligero ἐπιεικῶς & humaniter accipio: (Voluit enim dicere: Corpus esse materiam & formam simul juncta: quod verum est:) & hanc corporis, hoc est, substantiæ corporatæ essentiam P. Ramus in Geometria & comment. de Religione trina dimensione impugnat. Labefactat eandem Joh. Bodinus in Theatro naturæ pag. 3. & 73. Ramum igitur de eo, quod in medium venit, primùm audiamus lib. 4. de

Relig.

Relig. Christian. cap. 15. Corpus est (ait Aristoteles 1. cap. 1. de cœlo, & Euclides 11. defin. 11.) magnitudo longa, lata, alta. Hæc definitio generalis est, & corporum omnium communis, sive physica sint, sive artificiosa. Corpus physicum est corpus quod lucido, umbroso, raro, denso, levi, gravi, cæterisq; Physicis qualitatibus expletum est, ut flumina, metalla, lapides, arbores. Artificiosum, quod ab aliquo artifice compositum est: (quod ab Apelle pictum, à Lysippo fictum, à Cyto ædificatum:) ut tabulæ, statuæ, ædificia, armamentaria. Et paulò post: Corpus cogitatione abstrahi potest à physico corpore, nempe genus à specie. At corpus physicum non magis abstrahi potest à corpore quam species à genere. Sed tantæ stupiditatis sophisma ortum est ex Aristotelis philosophia, in qua ex infinitis authoribus collecta, neque interdum collectori satis judicata omnium ferè sententiarum contrariæ opiniones leguntur. Itaq; in Categoriis substantia quædam corporea statui videtur cui accidat magnitudo, linea, nempe superficies, corpus, ut saltem cogitari possit corpus physicum absq; corpore. Itaq; etiam Theologia ista, quæ Christi corpus corpus verum hominis & naturale esse dicit, sed expers magnitudinis Physicum corpus re ipsa à corpore separat. At inquam, corpus Christi non tantùm corpus Physicum, sed corpus animatum, corpus animale, corpus humanum, id est, certa longitudinis, latitudinis, altitudinis specie figuratum statuitur. Atq; ut magnitudo corporis, sic corpus corporis physici, corporis etiam humani genus est, & ista in Categoriis Sophistica per illam in Physicis logicam verè corrigitur & emendatur, ut alibi à nobis corrigitur & emendatur. Et in fine capitis: *Cùm corpori Physico non externum, non adventitium, sed naturale, sed essentiale sit, esse longum, latum, altum, id est, corpus esse, contradictio est, corpus physicum magnitudinis expers esse.* Libr. 1. Geom. ad El. 5. consectarium. Magnitudines licet mente separentur, revera tamen sunt illæ ipsæ magnitudines, quibus corpora physica corpora sunt, id est longa, lata, solida, atq; omnino locum occupantia. Neque verò secum pugnat Ramus, cum dicit ibidem: Magnitudo ipsa corpus est revera in sensili & Physico corpore. Tota enim ejus disputatio ostendit eum velle corpus non esse in Physico corpore, ut accidens seu adjunctum in subjecto, sed ut genus in specie, ut animal in homine. Ego hactenus cum Ramo facio. Quod propter Trinam dimensionem,

Omnia hæc P. Rami sunt.

Hucusq; Ramus.

quæ continet longitudinem, latitudinem, & craſſitiem, aliquid propriè nominetur, & ſit corpus: id quod è Peripateticis etiam & Scholaſticis Benedictum Pererium lib. 2. de Philoſophia naturali cap. 3. & Zabarellam lib. 2. de rerum prima materia cap. 17. fateri video.

Videtur, inquit Zabarella, nomen corporis præcipuè Dimenſiones ſignificare, & inde factum eſſe, ut ſubjectum ab eo nomen ſumpſerit, & ſit appellatum Corpus de Categoria ſubſtantiæ, quod nihil eſt aliud, quàm ſubſtantia trinæ dimenſioni ſubjecta.

Sed ut corpus accipitur pro eſſentia corporea, magnitudinem illam accidens ejus, quod in Categoria Quantitatis locum habeat, eſſe affirmo, & dico: Corpus de Categoria ſubſtantiæ, quod ſubſtantiale dicere liceat, eſſe illud, quod ex materia & forma conſtat, trinæ dimenſioni ſeu corpori de categoria Quanti ſubjectum: Corpus enim de categoria Quanti non poteſt exiſtere ſine corpore de Categoria ſubſtantiæ. Imò neutrum poteſt ſeparari ab altero. Corpus nullum poteſt dari de Categoria ſubſtantiæ, quod non habeat dimenſiones. Neq; trina dimenſio eſſe poteſt abſq; ſubſtantia corporea, in qua inhæreat. Accidens enim ſine ſubjecto exiſtere nequit. Etenim ſubſtantiam quæ dimenſiones non habeat nemo vocaret corpoream, & eam in qua inſunt tres dimenſiones, corpoream omnes vocant, ut utar verbis Zabarell. loco modò dicto.

Corporum ambiguum eſt. Interdum ſignificat quod habet tres dimenſiones, quæ conſtituunt corpus de genere quantitatis. Interdum ſignificat quod materiâ & formâ conſtat.

Dico, inquam, Eſſentiam Corporis ſubſtantialis, eſſe Materiatum. Accidens enim dimenſio non eſt aptum ſubſtantiæ eſſentiam conſtituere, nec poteſt eſſe de eſſentia alicujus ſubſtantiæ. Nec tamen Eſſentiam corporis illius ſine dimenſionibus ſalvam manere poſſe: Quia à materiæ natura primò emanant, & reipſa ſunt à ſubjecto ſuo inſeparabilia, ut humiditas ab aqua, calor igneus ab igni.

Dico corporis, quod eſt in Categoria Quantitatis, eſſentiam eſſe quantitatem, hoc eſt, trinam magnitudinis perfectionem, & hujus corporis partem quamlibet eſſe corpus. Corporis verò quod eſt in Categoria ſubſtantiæ accidens eſſe Quantitatem, ſeu corpus hoc eſſe quantum accidentaliter, quod eodem planè redit, & hujus corporis partem non dici corpus, ſed corpoream, tum hoc ſenſu, quòd habeat tres dimenſiones, tum illo, quòd ſit materiata. Sic Soncinas lib. 5. quæſt. Metaphyſ. quæſt. 19. Corpus, quod eſt quantitas, eſt ipſa trina dimenſio.

mensio. Corpus quod est substantia est subjectum trinæ dimensionis. Substantia igitur corporea potest intelligi simplici apprehensione, absq; trina dimensione, sed non absque corpore, quod est substantia, quia istud includitur in conceptu Quiditativo (hoc est essentiali) cujuslibet substantiæ corporeæ. Quid? quòd majoris lucis gratia sic distinguo:

- *Corpus accipitur*
  - *Concretè pro substantia, id est,*
    - *Pro re composita ex materia & forma: ut cœlum est corpus naturale.*
  - *Abstractè pro ipsa magnitudine triũ dimensionum.*
    - *Pro re magna, & ea quidem mensurabili trina dimensione: quo etiam illud Philosophi 1. de Cœlo, cap. 1. referri potest: corpus est quod divisibile est omni ex parte, id est, trina dimensione.*

Porrò distinctionem corporis probo sic:

Corpus in Categoria quantitatis non subsistit per se, non habet propriam hypostasin.

At corpus in Categoria substantiæ subsistit per se. Ergo hoc non est illud.

Propositio probatur: Si enim corpus in Categoria quantitatis per se subsisteret, nec esset in corpore, ut accidens: corporum & dimensionum penetratio fieret: à qua natura abhorret. Ergo.

Non etiam repugno si quis subtiliter sic velit distinguere, & ita ad Rami sententiam propius accedere: *Arbor, animal, pomum, quatenus substantia naturalis est, ratio ac quiditas ejus est constare naturali materia. Quatenus corporea, eatenus λόγος seu ratio ejus est longum, latum, profundum.*

Sententia à veritate non aliena.

Secundum hæc accipio quod Joachimus Curæus Philosophus, Medicus & Theologus non εἷς ἐκ τῶν πολλῶν scripsit: Si trigonus non habet tres angulos, non est trigonus: Ita si aliqua substantia non habet illas extensiones & distantias partium in longum, latum & profundum, non est corpus. At occinunt quidam, non esse hoc scriptum in codice

codice Biblico. Respondeo: Natura & ordo naturalis sunt opera Dei ita condita in prima creatione. De illis igitur quæ natura ita ordinata sunt, non concionatur Evangelium, sed loquitur hoc de alia sapientia, quæ est supra & extra ordinem naturæ. Doceant igitur illi (adversarii nostri) ex sermone divino contra immotum ordinem creationis corpus nominari substantiam quæ caret dimensionibus. Hactenus Curæus, cujus sententia est: *Omne corpus Necessitate definitionis habere extensiones seu internas locationes partium & dimensionum.*

Accedo ad sententiam Bodini, quæ est: quoddam corpus esse omni forma spoliatum: Primam naturæ hypostasin omnium simplicissimam esse ex materia & accidente: cinerem vilissimum ab ignibus omni forma ita exutum, ut restet in eo tantùm materia prima accidentibus copulata, itaq; corpus non esse definiendum quod materia & forma constet, sed per divisionem describendum, quod materia & forma, vel materia & accidentibus constet. Sed ego primùm materiam ullam sine aliqua forma subsistere negaverim cum Scoto lib. 2. distinct. 13. q. 1. Itaq; in cinere etiam vilissimo existimaverim esse materiam, formam & accidentia, etiamsi imbecillissimam hic mentis meæ aciem intelligam. Nam si quæras ex me, quæ sit forma illius cineris, nihil aliud respondeo, quàm Nescio. Deinde sic concluserim: Accidentia naturâ sunt posteriora substantiis, teste etiam Aristotele in 1. Phil. Itaque substantia nulla, ratione constitutionis sui, pendet ab accidentibus.

X.

Cur Catellus vel Mus genitus à mure, dicatur filius canis, filius muris.

GEneratio à physicis dicitur, cum corpus physicum formam novam induit exuta vetere. Ea distinguitur in univocam & æquivocam. Univoca dicitur, cum generans & generatum sunt ejusdem speciei, ut cum homo gignit hominem, bos bovem ex semine. De hac dicitur, simile gignit simile, ut canis canem. Æquivoca est, cùm gignens & genitum sunt diversæ speciei, ut cum à sideribus generatur mus per putrefactionem, cum ex carnibus humanis generantur vermes, cum ex vino putrefacto generantur parvæ muscæ.

Hinc

Hinc existunt pulchræ quæstiones, dignæ quæ excutiantur: Cur catellus vel mus genitus à mure dicatur filius canis vel muris, mus verò generatus à sole non dicatur solis filius. Ad ea quæ sic generantur, non tantùm concurrit aliqua virtus activa universalis, scilicet solis, sed etiam aliqua virtus activa particularis, puta aliquis calor elementaris, & aliquod humidum putridum in materia putrefacta. Mus interdum gignitur in fimo opera solis, nec tamen filius muris dicitur, sicut qui gignitur à mure ex semine: quia nihil dicitur filius alterius, nisi quod aliquid ex essentia ejus accepit. Jam verò cœleste agens æquivocum (sol) non generat murem è suæ substantiæ portione, nihil derivatur de substantia solis in murem: non gignitur mus, qui est à sideribus, per propagationem.

Hinc etiam judicari potest, cur cum conceptus sit Dominus Jesus Christus virtute & operatione Sp. S. non tamen dicatur filius Sp. sancti, nempe quia nihil essentiæ Sp. S. ei communicatum est. Dicitur autem filius hominis & Mariæ, quia non attulit carnem cœlitus, sed ex Maria conceptus est & natus. Univoca hæc generatio est, quanquam extraordinaria.

Indidem intelligitur, cur propriè mundus, Sol, Adamus non sit Dei filius: cur Deus propriè non sit πατὴρ creaturarum. Populariter quidem & poëticè mundi pater Deus dicitur, sed accuratius Philosophi nostri ajunt patrem gignere sibi univocum, ποιητὴν verò mundum efficere ex iis, quæ non extabant: ideò Deum factorem, ut ita dicam, creatorem, effectorem, auctorem, opificem mundi seu naturæ vocant.

Porrò quæris, cum Eva ex substantia, costa nempè Adami sumpta sit, an Adamus ejus sit pater? Respondeo negatè, pater enim filii est efficiens, quia paternitatis fundamentum est vis & ἐνέργεια generandi. Adamus non efficiens fuit Evæ, sed materia ex qua, seu materiale principium. Ergò. Seu: Patris est gignere prolem: at Adamus non genuit Evam, sed Deus ex aliqua Adami parte Evam produxit: Ergò Eva non fuit Adami filia.

Ultimò quæro, an canis gignat catulum, cum nascitur catellus, an cum gignit semen? posterius acutè affirmat Scal. exer. *6.10.* Nos contrariam sententiam defendentes sic dicimus: Cum nascitur catellus, jam generatus est. Cum semen gignit, gignit materiam, ex qua potest

fieri

fieri canis: In semine enim vis est formatrix corporis generandi seu generatrix alterius viventis seminis. Gignit igitur tempore inter hæc medio. Ac initiū quidem generationis fit, cum semen exhibetur matrici. Sed absolvitur generatio per operationem naturalem, quæ illam exhibitionem sequitur, nempe postquam jam matrix semen maris est complexa. Opponimus autem Scal. tria argumenta summa cum modestia: religio enim animos nostros incessit, quò minus sæpè ab ejus sententia discedamus.

I. Arg. Seminis generatio est ultimi alimenti concoctio. Canem gignere non est ultimum alimentum concoquere, sed aliud vivens simile producere: Ergò canis non gignit catulum, cum gignit semen. Seu generari canem à cane est aliud vivens simile produci à simili. Canis cum gignit semen, non producit aliud vivens simile. Ergò tunc canis non generat.

II. Generatio viventis est prima participatio animæ nutrientis cum calore naturali, teste Arist. de vita & morte. Generatio canis est generatio viventis. Ergò generatur canis, non cum semen gignitur, sed cum primò participatur anima θρεπτικὴ cum insito calore.

III. Ex sententia Soncinatis, quæ ratione non destituitur, generatio animalis est articulatio & expressio membrorum, conformatio corporis & perfecta dispositio ad introductionem animæ. Generatio canis est generatio animalis: Ergò &c.

Assumptio declaratur. Tres actiones ad generationem animantis concurrunt. Una est præcedens generationem. Altera est essentialiter ipsa generatio. Tertia est consequens generationem.

Prima actio est illa, qua præparatur materia, ut sit apta generationi, quam quidem actionem habet mater per suam potentiam procreatricem. Neq; enim mater tantùm principium prolis est patiens, sed ad ejus generationem etiam activè concurrit. Vide Fonsec. lib. 8. metaphys. quæstion. 16.

Secunda actio est organizatio (ut barbarus loquitur) corporis, & perfecta διάθεσις ad animam.

Tertia actio est deductio fœtus concepti ad debitam perfectionem & maturitatem.

XI. De

XI.

De Natura & effectu Qualitatum primarum.

Ex disputatione Gerhardi Cæsarii Dordaceni Belg. habit. Marpurg. anno 1596. ad consequend. honor. Magist.

QUalitates naturæ consulti in primas & secundas distribuunt: has ab illis derivari iidem statuunt, sed cùm secundarum à primis ortus obscurus sit ac valdè incertus (non omnia enim rara, calida, nec densa, frigida. Scal. in exerc. Brightus iu Scrib.) Primarum qualitatum naturam in præsentia describemus: ab his manantes, iis indagandas relinquimus, quibus ingenium felicius, scientia major. Primæ qualitates sunt quatuor: Calor, frigus, humiditas, & siccitas. Sed primæ cur dictæ? an, quia tactui sensuum primo primùm se offerunt? Sic volunt nonnulli. Sed ita potius essent duæ qualitates primæ, calor & frigus. In prunâ quippe, aut aquâ fervente citiùs calorem percipiet digitus, quàm siccitatem aut humorem. De frigore contrario simile judicium. Dictæ sunt igitur primæ, vel quòd primorum corporum primæ sint virtutes, vel quòd secundis originem præbeant: etsi non nescio, Scaligerum exer. 297. sect. 4. dicere, secundas & tertias qualitates à primis oriri falsum esse, nihilo enim magis ab illis oriri saporem quàm risum. Probationem Scaligeri desidero. Do quidem quarundam qualitatum à primis ortum admodum dubium esse: Sed sapori ortum dare primam qualitatem sentio cum veteribus, ac siccum, terrestre, coctum & digestum à calore ἀμέσως dare saporem humido ut saporis subjecto statuo. Harum duas priores activas vocant, posteriores passivas. Sed cùm humidum id dicatur, quod humectat, id siccum, quod siccat, cùm omne contrarium in aliud contrarium per se agat, cur non etiam hæ in activis qualitatibus censeantur? Ab actionibus itaq; & passionibus distinctio parum firma, nisi fortè ideò passivæ dici possunt, quòd in generatione misti, materiæ vicem sustineant, in quam agunt calor & frigus. Certum est interea, has pati, quatenus cum illarum vi fortiore comparantur.

Calor est qualitas segregans heterogenea. Ex proprio & primo effecto ita rectè definitur. Homogenea congregat, quòd ea secretis heterogeneis necesse sit superesse. Quod contra hanc definitionem non

parum faciat, à Scaligero exercit. 101. sect. 12. est observatum. Saccharum, inquit, aquâ incoctum ita miscetur, ut non queat separari: videtur igitur ignis heterogenea miscere. Verùm mistionem hanc per accidens fieri, quis non videt? Saccharum enim à calore resolvitur, resolutum cum aqua coit, quia tunc liquidum est, ac proprio termino stitui non potest. Hujus qualitatis theoria passim apparet. Sanguine è venis educto, (quia calor omnis non statim perditur) quod terrestre est, fundum petit, quod aquosum supernatat, purior sanguis medio manet loco. Calori debetur destillationum inventio, quid enim illæ aliud, quàm partes aqueas à terrestribus per calorem separant? quid ars chymica? spiritus abducit, elementa separat, separata purgat, idq; ignis ministerio. Calore, forma, ut aptissimo instrumento, ad munera sua obeunda, utitur, eo enim animalia concipiuntur, nascuntur, viventia quæque producuntur, atq; in tenuissimo corpore spiritu vitali hærens, non priùs extinguitur, quàm ipsum vivens desinat; unde mortis causam efficientem proximam ostendere volens Aristoteles, eam per nativi caloris extinctionem definivit. Et verè, quid enim aliud calor ille, quàm quoddam animæ & corporis quasi glutinum & copula? In igne, quem foci nostri habent, qualitas hæc intensissima est, propter materiæ densitatem. Cæterum neq; ignis hic accensus aër est, neque extrema caliditas siccitasq; corporis ustibilis: Ut enim, quod alii notârunt, taceam, ab aëre flammam concipi non posse, contradictionem hæc sententia implicat: aër enim corpus est, calor qualitas: at eadem res quomodo & corpus sit & qualitas? Hæc eadem qualitas vaporosam exhalationem è corpore odorifero provocans, & attenuans odores gignit: hæc sudorem è corporibus motu calefactis elicit. Sic è lignis præsertim viridibus, si ignem iis subjicias, non solùm fumus exhalabit, verùm etiam aqua desudabit. Eleganter Scaliger exer. 9. ignis, ut justus rex, suum cuiq; reddit, herciscens familias, & finium regundorum iniens rationem, prudens œconomicus sibi quantum satis est, sumit: ergò ex ligno terræ cineres, aquæ humorem, aëri halitum distribuit, sibi, quod vulgi oculos fallit, animos haud latet sapientum, sumit & servat. Caloris efficaciâ sanguinis tenuissima portio per carnem, quam, ut rariorem, facilè permeat, transfunditur & colatur, donec membranarũ densitate objectâ comprimatur, ut nulla ex parte fluere

possit,

possit, unde postea calor à membranarum compactione per ἀντιπερίστασιν geminatus, vaporosam illam sanguinis partem validius concoquit, condensat, ac adipem gignit. Butyri etiam conficiendi artificium caloris φύσει acceptum ferendum. In latere cocto, aëreum, aqueumq; quod est, à terrestribus partibus calore sejungitur, unde tum etiam gravior non cocto. Sic è pane, ad naturæ nostræ proportionem redigendo, ignis vi superfluum humidum eximitur, aëreum non paucum exhalat: Partes inde quædam à se invicem abscedunt, quæ ante cohærebant, fitq; spongiosus panis, qui fuerat massa densa. Idem calor carnes crudas, humidum excoquendo, & terrestre attenuando, stomachis nostris attemperat. Et talia sexcenta quotidianus suppeditat usus. Calor in igne summus: in aëre ab antiperistasi, proq; vario solis situ minuitur vel augetur. De elementis loquor in natura sua constitutis, nec in mixti compositionem receptis. Si cum quibusdam elementum ignis sit negandum, summum aërem ab astris incalescere dicimus.

Frigus est qualitas prima, humida tam homœogenea, quàm heterogenea congregans. Humida inquam, nisi enim res sint humidæ, frustrà in iis conglutinandis laborabit frigus. Hyeme aër densior redditur; descendens itaq; cum aquâ, in quam penetrat, à frigore congelascit: inde glacies aquâ levior in ejus superficie natat. Sed quàm multæ naturæ diversæ in glacie coeunt? Stramenta, lapides, ligna, combinari quis non videt? Idem in oleo, à frigore, in corpus viscidum ac lentum condensato, fieri potest. Sicut æstus corpora exsiccat, sic frigus eadem densâ compactione coagmentat. Hinc brevi aut saltem gracili sunt staturâ, qui sub frigidis & torridâ zonis degunt. Sic mulieres pilos habent molliores, quia poros etiam angustiores, ob frigus cutem constringens; ut contrà Aethiopibus & ferè balneatoribus duri ac crispi capilli, ob calorem: Qui etiam humore adjutus, meatus laxans, facit, ut non magno negotio crines evellantur. Frigus aëri, aquæ, terræ naturale est, ast hoc gradu, ut aër sit frigidus, frigidior aqua, frigidissima terra. Qui frigus simpliciter privationem esse statuunt, nugas agunt. An ut terra, nullam obtineat qualitatem, qualitatum tantum privationes habeat? eodem enim jure humiditatis privatio siccitas putabitur, quo caloris frigus. Sensu potest frigus percipi, actione prædi-tum est: privatio sola mentis vi intelligitur, expellitur, habitum non

repellit, nullam enim habet actionem. Frigus igitur non est caloris privatio, sed contrarium, ut vocant, positivum. Scal. ex. 18.

Humiditas est qualitas difficulter termino proprio consistens. Improbat hanc definitionem Jacob. Mart. Scotus lib. de prima generat. c. 6. arguitq; ex eâ ignem vel esse summè humidum, aut certè aere humidiorem, quia difficiliùs suis extremitatibus coërcetur. Videamus. Frigori nonnunquam accidit, ut vel partes heterogeneas sejungat, vel poris obstructis, humidóve exhalato, corpus aliquod exsiccet: at ideò frigus neque calidum, neque siccum dici potest: De igne par ratio. Naturâ suâ propriis comprehenditur limitibus: at fluidus est, per accidens: quia tenuissimis subtilissimisq; ex partibus coalescit. Cæterùm glutinationem ac cohærentiam ab hac qualitate sortiuntur composita. Videre id est in castaneis, nucibúsve, quæ ubi propter humidi, à calore solis, excoctionem, siccescere cœperunt, dehiscunt ac dissipantur. Hinc etiam mistionem non difficulter liquida recipiunt. Ex liquidæ hujus qualitatis natura, causa liquida dari potest, cur citiùs figuram & movendi vim recipiant mares, tardiùs fœminæ: quia scilicet hæ frigida & humida, illi sicciora & calidiora habent principia. Porrò humida quæ sunt, invitè figuram recipiunt certam, sicca libentiùs, & frigida ad motum minùs apta, quàm quæ calida. Proba humoris cum calore temperatura efficit, ut celerior perfectiorq; fiat concoctio: sicut enim fructus æstate aut nimis aridâ, aut supra modum pluviosâ tardè maturescunt, ac tum demùm ad plenum maturitatis gradum perducuntur, quando pluviis æstus, æstu pluviæ ita succedunt, ut in justum calor & humor temperamentum coëant: ita cibi in μικρῷ κόσμῳ culinâ, adurun-tur, si nullo, crudi manent, si nimio humore perfundantur. Fundamentum hinc habet, quod Medici nonnulli suadent, iis, qui vel crassa ac δύσπεπτα assumserunt alimenta, vel laboribus, membrorumq; agitatione corpus exercuerunt, intermedio inter prandium & cœnam tempore omninò à potu abstinendum non esse. Humiditas in aëre summa, in aqua minor. At humectatio ab aqua contrarium evincit, id fit à materiæ densitate, eâdem sanè ratione! quâ ferrum plus adfert caloris, quàm flamma. Aër autem propter suam tenuitatem non ita adhæret corporibus. Libet hìc inserere quæstionem illam inter Physicos diu agitatam: Utrum calor ab humiditate, an verò à frigore extinguatur?

Nos

Nos cum Scaligero ab iis diſſentimus, qui præcisè tolli calorem à frigore ſcribunt. Neq; quicquam contra nos faciunt aquæ calefactæ, vini, exempla, quæ in hac diſceptatione adferri ſolent.

Siccitas eſt qualitas, quæ facilè proprio termino coërcetur. Vim conſiſtendi ab hac habent mixta. Cur aqua in orbem planum funditur, in pulverem ſi cadit, in globum coit? qui naturæ ignarus non erit, hic, à ſicco aquam firmari reſpondebit, illud mirum non eſſe, quòd liquida non arctentur, ſed dilatentur. Cur argentum vivum conglobatur? quia eſt aqua terrea, nullo frigore congelata; aqua igitur, quæ difflueret, à terra, cum qua ad metalli compoſitionem ſocietatem iniit, continetur, conſiſtitq; in forma illa, quâ unitas quàm optimè ſervatur. Siccitas extrema eſt in terra & ignî juxta nonnullos: Quanquam huic qualitatum ad elementa relationi adverſetur Jacob. Mart. Quæ à natura, ait, inſita ſunt, non mutantur: Aër autem nunc incaleſcit, nunc refrigeratur, nunc ſiccus, aliâs humidus evadit: aqua modò frigida, aliâs à ſolis ardore fervida; terra omnium qualitatûm viciſſitudine quadam particeps: Nulla igitur qualitas tactu perceptibilis à natura elementis eſt tributa. Propoſitio dubia eſt, & vacillat: τῇ φύσει διεστραμμένα τῶν ξύλων ὀρθοῦμεν, ait Ariſtot. lib. 2. Nicomachicorum c. 9. naturâ contorta ligna in rectam dirigimus. Affectus conſuetudine aliter aſſuefiunt, à natura tamen hominibus inſunt: luxuries multis plantis naturalis, quæ tamen agricolæ operâ corrigitur. Ex fallaci autem inconſtantium præmiſſarum ſemente, certam concluſionem nemo niſi precariò metat.

XII.

An animæ poſt mortem ad magnum illum uſq; diem cenſorium & ultimum judicium ſine intelligentia dormiant perpetuo ſopore veternóve perfuſæ.

SUnt qui non quidem negant à morte animam aliquid, nempe ſubſtantiam eſſe, ſed putant, imò ſomniant eam ad ultimi judicii uſque diem, quo è ſomno ſuo expergefieri debeat, ſine memoria, ſine intelligentia, ſine ſenſu dormire, vi ſua non exerceri poſt diſſolutam compagem corporis.

Hoc Opinionis impiæ Monstrum etiam ex Philosophia Platonica debellari potest, quæ docet, animam corpore solutam maximè ἐνεργείᾳ sibi propria vigere, corpus esse animæ carcerem, terrenam habitationem esse animæ compedes, proindeq; animam solutam, hoc carcere exutam, his vinculis abjectis, hac corporis mole nullo pondere aggravante, sibi veluti reddi, & quasi se colligere & elevare ad divinorum cogitationem. Congruit hæc sententia cum sacris literis, quæ nos docent corpus aggravare animam, & terrena habitatione deprimi sensum multa cogitantem: meliorem hominis partem corporis vinculis captivam teneri, ac per mortem liberatum iri. Rom. 6.

Adde quòd illius opinionis dormitabundi defensores re ipsa sunt ψυχοκτόνοι, id est, animicidæ, animæ jugulatores, animæ carnifices. Animam enim esse, & tamen prorsus nihil ἐνεργεῖν, seu omninò otiosam esse, est Deum esse, & tamen nihil prorsus operari, hoc est, est animam nihil esse, & cum corpore unà emori, ut Deus, qui prorsus nihil agit, (qualem commentus est Epicurus, teste Cicerone de Natur. Deor.) Deus non est: Itaque etiam anima quamdiu in corpore est, nunquam otiosa est, ut non aliqua officii sui parte fungatur. Cave igitur in horum castra te conjicias. Sana etiam Philosophia docet: Animas habere operationes quasdam independentes à corpore, & post mortem vivere, & quidem vitam intelligentem. Vita autem intelligens quomodo cum perpetua dormitione congruit? Est interim sua quies animis fidelium, nempe dum in spe beatæ resurrectionis acquiescunt, & habent tranquillitatem conscientiæ, cùm videant sibi patrem esse Deum. Hæc quies verè vita est. Fruuntur animæ electorum sensu Dei: animæ reproborum dum terribile judicium in se de se expectent, torquentur illa expectatione, quam Apostolus φοβερὸν, id est, formidabilem vocavit. Non certè hoc dormire est propriè. Dicamus igitur cum D. Hieronymo in epistola ad Pamachium, adversus errores Johannis Hierosolymitani, de anima extra corpus constituta differente: Non possumus incorporalem & æternam animam in modum glirium immobilem torpentemq; sentire.

2. Object. Verùm quidam in causæ suæ patrocinium vocant sacrum Codicem, ut quod scribitur Psal. 145. Exibit Spiritus ejus, & revertetur in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Resp.

Resp. Nihil prorſus nobis hoc obſtat: *Exibit Spiritus ejus*, id eſt, anima à corpore. *Et revertetur*, nempe homo privatus Spiritu *in terram ſuam*, unde ſcilicet ſumptus eſt. *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum:* id eſt, tunc, quicquid moliebantur, dum viverent, diſſipabitur, & in ventos abibit. Non autem ſequitur: Cogitationes hominum fient inutiles, deſideria eorum reddentur vana. Ergo mortui nihil ſunt intellecturi & cognituri. Non inquam cohæret conſequens cum antecedente. **Solut.**

Addunt: Nihil ante diem judicii ſtatui beatitudinis aut miſeriæ, ex Matth. 24. & 13. & 27. Daniel. 2. 2. Cor. 4. Itaq; ſi animæ non moriantur, neceſſe eſſe eas alicubi dormire. **2. Object.**

Resp. Obrutum obtuſumq; telum. Poſſent enim, etiamſi vigilarent, & non dormirent, gloria carere, aut miſeriæ expertes eſſe. Sed ad antecedens reſpondeo, illud verum eſſe de perfecta omnibusq; numeris abſoluta beatitate. Nulla enim eſt beatitudinis & gloriæ perfectio, niſi perfecta cum Deo conjunctio, quæ fiet poſt diem judicii. Interim tamen beatitudo noſtra & hîc incoatur, & ſemper eſt in curſu, uſq; ad diem illum qui omnem curſum terminabit. Guſtum igitur animæ electorum aliquem habent vitæ æternæ, dum agnoſcunt ſibi Deum propitiū, futuramq; gloriam ſperant, (ut contrà formidabilis, ideoq; miſera, minimeq; beata impiis eſt judicii expectatio.) Imperfecta illa incoataq; beatitudo notatur voce Paradiſi. Ad ſummam: beatitudinis noſtræ ſunt principia, incrementum, conſummatio. Nota ſunt illa: Qui verba mea audit, habet vitam æternam, tranſivit à morte in vitam. Regnum Dei intra vos (fideles) eſt. Nunc filii Dei ſumus: Sed nondum apparuit, quid erimus. Sed non deſinunt reſtitare. **Solut.**

Putant enim & hoc columen valde ſibi firmum eſſe. Viventes ſciunt ſe eſſe morituros. Mortui verò nihil norunt amplius, Eccleſiaſt. 9. **3. Object.** Resp. Verùm hoc non dicit ſapiens ex ſua ipſius ſententia, ſed ex opinione impiorum, qui arbitrabantur animas nec vivere, nec intelligere quicquam poſt mortem & interitum corporis. **Solut.**

Impellunt etiam in nos tanquam fortiſſimum arietem locum Eccleſiaſt. cap. 3. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, ut oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus eſt interitus hominis & jumentorum, æquaq; utriuſq; conditio. Sicut homo moritur, **4. Object.**

ſic &

ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo amplius jumento. Cuncta ſubjacent vanitati, & pergunt in unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur.

Quis novit, an Spiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & Spiritus jumentorum deſcendat deorſum?

RESpond. quidam cum Eccleſiaſte. Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Solomon enim hic nihil aliud agit, quàm ut ſenſum hominis (ψυχικοῦ) vanũ omniumq; rerum incertum oſtendat. Videt homo, ſe mori inſtar beluæ, ſibi vitam & mortem cum illa eſſe communem, conditionem igitur ſibi æqualem cum illa eſſe colligit. Et quemadmodum poſt mortem illi nihil ſupereſt; ita ſibi nihil facit reliquum. Hæc mens hominis (animalis) hæc ratio, hic intellectus. Homo nõn renatus, videt oculis carnis, ſpectat mortem præſentem, hoc unum ſecum reputat, de terra omnia orta eſſe, & in terram pariter reverti. Interim animæ nulla habetur ratio. Atque id eſt, quod ſubjicit. Quis novit, an Spiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? Quod ſi ad animam veniatur, humana ratio tota in ſe contracta nihil ſtatum aut liquidum ſtudendo, meditando, ratiocinando comprehendit. Cum igitur Solomon humani ſenſus vanitatem ex eo oſtendat, quod in animi conſideratione varius ſit & ſuſpenſus, minimè errori eorum patrocinatur, ſed fidem noſtram præclarè ſuſtinet. Quod enim humanæ mentis captum & modulos excedit, hoc nobis explicat Dei ſapientia, Spiritum ſcilicet filiorum Adam ſurſum aſcendere, hoc eſt, conſiſtere & immortalitatem retinere, non collabi, non decidere, non diſpergi. Etſi autem ſenſus carnis tales diſceptationes dictare ſoleat homini, quales Solomon hìc graphicè exprimit, tamen ſani etiam Philoſophi, judicium rectæ rationis ſecuti, ut Plato, Xenophon, Cicero 1. Tuſcul. differentiam inter animas hominum & beſtiarum agnoverunt.

Injiciunt etiam alii nobis manum, afferentes locum Ariſtotelis 3. de anima, context. 20. qui videtur ad divellendum difficilis. *Intellectus, ſeparatus à corpore, id eſt ſolum, quod eſt, atq; id ſolùm eſt immortale & perpetuum. Non autem reminiſcitur* intellectus à corpore ſegregatus. *Quia hoc quidem impatibile eſt. Paſſivus verò intellectus corruptibilis eſt & ſine hoc nihil intelligit.*

telligit. Anima igitur post mortem non reminiscitur. Sed hoc nos non admodum ferimur, vel certè non jugulamur. Nam sententia verborum Philosophi est: *Non reminiscitur,* puta per cogitativam potentiam, quando intellectus est separatus à corpore. Quia hoc quidem (intellectus secundum suum esse) impatibile est (id est non exercetur per mutationem seu perpessionem corporis.) *Passivus verò intellectus* (id est, cogitativa vis, quæ exercetur per passionem corporis) *corruptibilis est,* & sine hoc (id est, sine composito, seu corpore) *nihil intelligit:* Breviter: Intellectus separatus à materia est perpetuus secundum suum esse: licet non sit perpetuus secundum eā operationem, quæ pendet à phantasmate. Sicut hunc locum Greg. de Val. interpretatus est. Ergo post mortem corporis anima non reminiscetur? Nec reminiscetur nec intelliget ea quæ in corpore intelligebamus: quia in corpore intelligebamus per intellectum patientem, hoc est cum corpore conjunctum & cum imaginatione connexum. Talis verò intellectus unà cum corpore interit. At anima nihilominus immortalis permanet nec perimitur interempto homine. Alio igitur modo soluta corpore anima intelliget, *simplici videlicet apprehensione. Aristotelem autem immortalem intellectū facere* ex 12. Metaph. text. 16. & 17. patet, ubi docet causas efficientes ante effectus suos existere. Formalem verò causam & formatum esse simul, aliquam tamen causam formalem, ut intellectum, posse permanere post destructum suum effectum, ut hominem. Cum, inquit, sanus fit homo (formatum, hoc est, effectus formalis) tunc etiam sanitas est (forma) & forma æneæ sphæræ simul est atq; ænea sphæra. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet: veluti si anima talis sit, non omnis, sed intellectus. Ac profectò si intellectus agens amittit omnem habitum post hospitis sui (corporis) mortem, illi melius fuerit atq; opulentius in nexu quàm soluto. At non hoc. Ergo nec illud. Vide Scalig. exerc. 307. sect. 19. qui etiam præcedente sectione 18. non veretur adversus Cardanum dicere, quod excutiat risum vel moderatissimo sapientiæ studioso illud esse. Intellectus agens non recordatur eorum post mortem, quæ in vita intellexerit. Illi opponi potest Lucæ istud 16. Fili recordare quod acceperis bona in vita tua. Et quod sapientiæ 4. de damnatis mortuis dicitur: Venient in cogitationem peccatorum suo-

rum. Et Esaiæ 66. Vermis eorum non morietur: intellige, quia non extinguetur memoria præteritorum (quæ impii in vita sua fecerunt) peccatorum. Magno errore ducuntur, qui hisce obstrepunt & negant animæ immortalitatem (quam omnino assertam volumus) boni vel mali sensu constare.

Nec est verisimile, cùm senescente corpore vigor animi crescere soleat, & plerumque corporis commercium impedimento potiùs sit animæ, quò minùs perspicaciter res intelligat: intellectus etiam animæ in corpore à corpore non dependeat, eam à corporis nexu liberatam nihil intelligere & insipientem esse: sed quomodo animæ separatæ intelligant, *Id secreti unus novit Deus arbiter ævi.* Forte quædam noverunt & intelligunt naturaliter, quædam supernaturaliter. Naturaliter ut vel intelligant per [a] species quas hìc acquisiverunt ex rebus naturalibus & aliis, vel eliciant [b] species ex ipsis objectis per vim intellectus agentis, non ex phantasmatibus. Supernaturaliter lumine divino, ut cognoscant, per species ipsis divinitus infusas, vel per Revelationem divinam aut Beatam visionem. Sed misso modo intellectionis, qui nobis ignotus est, maneat istud: Animam separatam esse præditam intelligentiâ, animæ animam esse intellectum, & qui fingunt animam nihil intelligere, eos animam ipsam à se ipsa divellere: & quia satis evanuisse arbitramur istorum fumos, quibus animarum dormitionem involvebant, ad alia transeamus, si tamen hoc prius monuero: Animam separatam intelligere à se per seipsam, seu per suam ipsius substantiam credibile esse. Concedit hoc ipsum Thomas etiam Aquinâs.

Anima separata quædam intelligit lumine naturæ vel gratiæ.
a) *Thomas Aq.*
b) *Scotus.*

TABELLA.

Anima secreta à corpore intelligit
- *Se ipsam Per se ipsam non per species ex sensilibus acquisitas.*
- *Quædam etiam Alia à se Per species,*
  - *Non ex Phantasmatibus.*
  - *Sed*
    - *Acquisitas in hac vita:* vel
    - *Immissas datasq́ divinitus.*

XIII.

An Accidens sit accidentis: Affirmatur quodammodo.

IN Philoſophorum monumentis non rarò occurrit: Accidens accidentis non eſſe. Et Scaliger exer. 75. ſect. 1. Non, inquit, ſatis patet, an unum accidens eſſe queat ſubjectum alterius accidentis. Hæc occaſionem præbuerunt ad propoſitum ζήτημα explicandum. Subeſt autem negationi huic Ratio. Quia accidens eſt ſubſtantiæ: ut ſymptoma eſt corporis animati. At accidens aliquando accidentis eſſe perſuadent exempla: Corpori animato inſunt ſymptomata propter morbos, qui accidunt corporibus animatis. Audin' Morborum, qui accidentia ſunt corporis animati, accidentia eſſe Symptomata, quæ à Medicis dicuntur. Motus accidens eſt corporis naturalis, ejuſdemq; motus accidens eſt velocitas vel tarditas. Sic Tempori quod accidens eſt corporum & motuum phyſicorum, accidit longum eſſe, breve eſſe.

Cenſura.

Adjunctum eſt ſubjecti, quod ſubjectum interdum eſt ſubſtantia: Sic homo eſt ſubjectum pecuniarum, pecuniæ ſunt hominis adjunctum: Interdum accidens: Sic pecuniæ, quæ ſubjectum ſunt multitudinis & paucitatis, (Dicitur enim multum pecuniæ, parum pecuniæ,) ſunt accidens hominis.

Accidens eſt ſubſtantiæ vel immediatè, ut vitium hominis: vel mediatè, nempe per & propter accidens, ut ſanabile & inſanabile ſunt hominis, per & propter accidens homini vitium, cui primò & immediatè inſunt. Symptomatum morbi πρῶτον δεκτικὸν eſt morbus, qui accidens corporis eſt, ſeu certæ ejus partis. Sed cor, quod pars ſubſtantiæ animalis eſt, non eſt primum ſubjectum ſymptomatum. Ita intelligatur hoc Jacobi Scheckii in 4. Top. Loc. 55. Symptomatum febris non cor primum eſt ſubjectum, ſed cor morbo febris affectum: acſi diceret, cor non quà cor, ſed quà morbo febris affectum eſt. Sententia igitur eſt: Morbum febrem eſſe primum ſubjectum ſymptomatum. Hanc ſententiam hæc clariſſima ejus verba, quæ adductis ſubjicit, oſtendunt. Sunt enim Symptomata propria πάθη morborum. Sic accidentia ſunt in accidentibus, ſed morbi propter accidentia partium quibus inſunt, dicuntur etiã, ut pleuritis cerebro, febris cordi, ſpaſmus

 nervis.

nervis. Sic accidentia sunt in substantia. Itaque interdum accidens habet duplex subjectum: Unum substantiam, alterum accidens hujus substantiæ.

Hæc duo subjecta, exempli causa, ostendit hoc enunciatum. Symptomata *partibus subjectis* insunt propter *certos morbos*, quibus afficiuntur.

Fundamentale autem, ut ita loquar, accidentis subjectum semper est substantia aliqua. Sed hæc fortasse ridebunt ignari illius sapientiæ, quæ propter cognitionis difficultatem à paucis recepta, apud multos calumniæ propior est, quorum stultam pertinaciam insectari sapientis non est, si Philosopho credimus, 3. de partibus, & 1. Topic.

XIIII.

Cur Rosæ amittant ruborem.

Liberorum hominum temporis parcissimorum conservatorum est, ætatis suæ momenta, quæ ad sapientiam consequendam afferre debent, non prodigere in inanitatibus, sed collocare in utilibus, & jucundis quæstionibus explicandis. Inter eas hæc quoq; est, de qua admonet præsens tempus vernum, quo jucundus aspectus & gratus odor rosarum nos afficit: Quare rosæ diutius diei æstum passæ, sicut homines, qui diutius vixerunt, amittant ruborem. Experientiâ sanè hoc constat rosam, ut ex alba fit rubra, sic ex rubra rursum exanguem & exalbidam, ut loquitur Scaliger, fieri: homines ingravescente ætate pallescere, aut luridos fieri: sicut videmus saccarum candidissimum aquâ solutum fuscescere, oleum insolatum albescere: à cera deniq; insolatione tolli colorem proprium.

Hujus symptomatis causa physica est, sublatio & consumptio humidi, facta à causa efficiente valida. Abitu humidi subit nigredo, fuscus aut lividus color, pallor, vel luridus (pallidus ingrato nigrore mistus) color. Sed age hanc causam plenius explicemus. Coloris ut rei naturalis causa est, tum nativus, tum cœlestis calor. Illa princeps, hæc adjuvans. Nativus scilicet calor à cœlesti adjutus evehit calorem naturalem ad certum gradum, ad quem sine illius adjumento pervenire non potest. Hoc opere absoluto peregrinus seu extraneus, vel igneæ naturæ particeps calor absumpto humido partes tenues, in quibus color suas habet sedes, populatur, ut ferè abscedant, illic magis, hîc minus.

Ex rubore igitur minuto existit pallor, qui iccirco pro quadantenus rubro interdum accipitur, ut cùm dicitur, Arguit infidum pallida barba virum, Germanis bleichrot/ similis vino diluto rubello.

Extraordinarium.

Quæritur cur poëtæ Rosam Veneri consecraverint? Responsio: Consentaneum est eos hoc fecisse propter pulchritudinem, & odoris suavitatem, addo etiam vigoris brevitatem, sicut enim rosa brevi viget, sic etiam venerea voluptas.

XV.

Quæ sit causa Pudoris.

CAsta aliqua puella & verecunda, cùm forte fortuna incidit in suum amatorem, rubore suffunditur: fit ut adolescens aliquis à natura probus in aliquo delinquat, aut ei in mentem veniat, se trahi in criminis alicujus suspicionem, etiam falsò, indeq; frons genæq; ejus inficiantur, seu suffundantur rubore, etiamsi aliâs maximè palleant. Unde frons sedes verecundiæ & honoris à veteribus (ut Aristotele) constituta est. Jucunda est cognitio causæ physicæ, quam disputationi subjicimus. Cur igitur cum pudet aliquem vel facti, vel visi, vel auditi, genæ tingantur, hujus symptomatis causam statuimus esse, quia pudefacto sanguis de corde in omnes ferè corporis partes diffunditur, ita ut superficiē occupet. Sed tamen præcipuè inficitur facies. Primum enim frons vicina est imaginatrici virtuti, quæ cum sensu communi in anteriore parte cerebri veluti prora capitis collocata est. Ejus virtutis vi tristia vel læta, decentia vel minus decentia, ad judicium, & velut tribunal rationis gravissimum subitò deferuntur. Ab ea simulatq; dijudicantur, erubescit homo, in vicina eaq; habili parte, fronte potissimum (unde perfrictæ frontis dicimus esse eos, qui pudorem omnem abjecerunt & veluti exuerunt.) Etsi enim in pudore & verecundia primùm repentè ad inferiora confugit calor: tamen mox sese forâs diffundit affatim: non secus atq; calor iis revocatur, qui frigidâ se laverunt, ut ita calor secum certare videatur (hæc lucta existit ex timore quodam, qui est pudoris initium) & tamen vincat sanguine cum ipso excitato. Hinc ergo fit, ut in pudore genæ repentè rubescant.

Deinde rubore inficitur frons, quia homo scit frontem, qui animi εἰκὼν est, unam omnium partium corporis maximè esse apertam, & aliorum oculis objectam. Aliquando fit, ut præ verecundiâ vix audeamus hiscere, & pudor silentii pater dicitur (Scaliger exercit. 99.) quid ita? Id est ab animi perturbatione, & metu reprehensionis.

XVI.

Utrum colores medii misti & compositi sint ex extremis coloribus qui in ipsis insint, ut tepidum mistum & concretum est ex calore & frigore.

VOco in medium quorundam dogma, & σκέμμα facio: quòd colores Medii specie differant ab extremo. Differre enim eos ab his secundum Magis & Minus seu gradibus, ita ut sint quodammodò utrumq; extremorum, sicut tepidum & calidum & frigidum simul at remissè non improbabile est. Nam cum mutatur aliquid ex albo in nigrum, cum perventum est ad medium, minùs nigrum est quàm simpliciter extremeque nigrum, & minus album, quàm simpliciter exacteq; album. Similiter est magis album quàm nigrum simpliciter, & est magis nigrum quàm album simpliciter, seu cum quid mutatur ex albo in nigrum, id non cum primum discessit ab albo, jam est in nigro; Prius enim est in fusco & ab hoc postea ad nigrum pervenit. Huic argumentum suffragatur, quod Aristoteles 5. phys. contextu 52. fuscum, inquit, medium ad utrumque extremorum quodam modo dicitur, hoc est, utriusq; rationem habet, quia ex utroq; compositum, & quod commentator dicit 5. physicorum, cum sit transmutatio viridis in album, non fieri transmutationem in viride nisi ex parte nigri, quæ sit in viridi. Et Scaliger exer. 35. pallor medium est ex atro & rubro: Sed adjicio his artificiale argumentum alterum: Omnes motus qui sunt ad contraria, sunt ex contrariis, Aristoteles 5. physicorum: & commentator commento 6. Sed aliquid potest mutari à pallore, media qualitate, in album & nigrum, extremum: 10. 1. Philosoph. & commento commentatoris 22. Ergo in qualitate media, pallore sunt formæ contrariæ.

Rubor est alius specie ab albedine & nigredine.

Altera tamen opinio subnixa est rationibus, ostensiva una, ad absurdum deducentibus duabus:

Qualitates quæ habent proprias peculiaresq; causas, proprietates & effectus, distinguuntur specie ab extremis. Mediæ qualitates, ut viride habent proprias, &c. Ergo specie distinguuntur ab extremis nigro & albo, & viride per se & actu nihil habet in se nigredinis & albedinis.

2. Si medii colores differunt ab extremis, tum secundum magis & minùs, & constant ex sola mistione extremorũ; & viride non magis differet à nigro & albo, quàm ab his differt minus album & minus nigrum. Sed posterius absurdum, quia pugnat cum sensu judicioq; oculorum. Ergo & prius.

3. Si colores medii non specie sed tantùm secundum πλέον καὶ ἧττον ab extremis differunt, & ex illorum mistione ac temperatione conflantur, quotiescunq; ex nigro est perfecta mutatio in album, oporteret omnes intermedias colorum species procreari & apparere. At hoc non fit neq; in coloribus à pictoribus effectis neq; in naturalibus. Ergo nec illud.

Huc facit quod commentator 1. phys. 56. dicit, colores extremos esse in colore medio non in actu primo nec in potentia prima, sed medio modo inter potentiam & actum: seu in composito inveniri ex altero contrariorum minus, & ex altero minus non simpliciter sed aliquo modo, id est, in potentia utrumq; extremum in medio esse In actu, sed tamen non in ultima perfectione, id est, in medio utrumq; extremum esse in actu naturali non formali, Soncinâs lib. 10. Quæst. Metaph. q. 21. medium colorem virtualiter contineri utrumq; extremorum unum tamen magis alterum minus, quòd rubrum plus virtualiter contineat albedinis quàm nigredinis, fuscum plus nigredinis quàm albedinis. Et Pererius de natura motus lib. 13. Quæst. ex plerorumq; omnium philosophorum sententia, cum ex nigro fit mutatio in viride, dicit fieri mutationem quodammodo in album, eò quòd viride habeat affinitatem seu convenientiam quandam cum albo propter quod viride quodammodo sit contrarium nigro.

Itaq; medii colores propriè non dicuntur ex extremis componi. Impossibile enim est ex naturis specie distinctis constitui tertiam speciem, qualibet illarum permanente in specie sua. Sed qualitas media distinguitur ab extremis. Non igitur potest constitui ex extremis naturam speciei retinentibus. Major est philosophi 5. 1. Philos. ubi dicit quinq;

quinq; non eſſe duo & tria ſed ſemel quinq; , quòd tria & duo ſint numeri ſpecie diſtincti. Patet etiam ratione, quia id quod cum altero concurrit ad conſtituendum unam ſpeciem, non poteſt eſſe natura totalis & perfecta ſed tantùm partialis. Objicitur Philoſophum dicere media componi ex extremis: Averroem: ſi quid moveatur è fuſco in nigrum, moveri id ex albedine quæ ſit in fuſco, & ſi fiat tranſmutatio ex viridi in albũ, non fieri trãſmutationem in viride niſi ex parte nigri quæ eſt in viridi: Omnia media, eſſe compoſita è contrariis, ſed ita ut alterum cõtrariorum iis inſit ſecundum magis alterum ſecundum minus, quòd fieri nequeat ut in compoſito ex cõtrariis ſint duæ partes æquales, ſed neceſſe ſit alterum tenere dominatum ac principatum. Reſpondetur 1. Philoſophum non intelligere iſtis verbis quòd formæ mediæ habeant rationem utriuſq; extremorum, & reſipiant eorum naturam *abſolutè*, id eſt, ita ut aliquis gradus ſit qualitatum contrariarum formaliter & reipſa in qualitate media, ſed ſolùm, quia media habent rationem contrariorum *comparatè*. In fuſco enim plus eſt nigredinis, quàm albedinis, in rubore autem plus eſt virtualiter albedinis quàm nigredinis, ideoq; fuſcum comparatum albo dicitur nigrum, & rubrum comparatum nigro dicitur album. 2. Averroës per albedinem, quæ in fuſco eſt, non intelligit aliquam realitatem quæ ſit de natura albedinis, quia tunc mobile non moveretur à fuſco in nigrum, ſed ab albo in nigrum, cujus oppoſitum vult Averroes, ſed per albedinem intelligit ipſum colorem fuſcum qui comparatus cum nigredine habet rationem albedinis.

Ad ſummam: Averroës vult extrema eſſe in medio non formaliter ſed virtualiter, & medios colores componi ex extremis κατά τι, quod nempe habeant affinitatem & convenientiam cum extremis, licet cum uno magis, cum altero minùs ut dixi.

Objicitur ſecundò autoritas Ariſtotelis 10. 1. Philoſoph. ἐκ λευκοῦ καὶ μέλανος φαίνεται τ' ἄλλα γιγνόμενα. Reſp. Ait φαίνεται, id eſt videtur, ſed *Videri* & eſſe immane quantum differunt! etſi cum dicit Ariſtoteles videntur quæ ſunt præter naturam citiſſimè interire verbum φαίνεται interpretatur Zabarella apparet, ſeu evidens eſt, lib. de motu ignis in orb. cap. 7.

Objicitur

Objicitur 5. Omnes motus qui tendunt in contraria ſunt ex contrariis. Ariſtoteles 5. phyſ.

Sed aliquid poteſt mutari à media qualitate in extrema, puta à pallore in albedinem & nigredinem, ut dicitur 10. 1. Philoſoph. text. 22. Ergo in qualitate media formæ ſunt contrariæ. Reſp. ad propoſitionem: Motus qui ſunt ad contraria fiunt ex contrariis, aut ἁπλῶς, id eſt, ſimpliciter, aut κατά τι, id eſt, quodammodo & comparatè. Quomodo autem colores medii conflentur ex contrariis extremis, variè explicari poteſt.

Itaq; ad comprehendendam facilius animo totam diſputationem notetur ſequens tabella.

Medius color ex extremo ſimul utroq; compoſitus eſt
- *Propriè.*
- *Impropriè, Ratione*
  - *Comparationis ſeu ſimilitudinis ac convenientiæ.*
  - *Cauſſæ.*
  - *Effectus.*

Convenientiæ] quia habent cognationem ſeu affinitatem cum extremis media.

Cauſæ] ſcilicet colorum extremorum, quæ ſunt lux, perſpicuitas, & opacitas. Perſpicuitas enim in mixtione cum privatione opacitatis eſt cauſa albedinis. Opacitas cum perexigua perſpicuitatis & lucis admiſtione, eſt cauſa nigredinis. Ex tribus illis variè miſtis inter ſe, certaq; ratione temperatis exiſtunt colores medii.

Effectus] ſcilicet colorum. Utrumq; extremorum præter modum oculorum ſenſum afficit, ideoq; lædit atq; offendit. Album enim διακριτικὸν eſt, ita ut non diſgreget ſeu diſſipet viſum. Nigrum ita συγκριτικὸν eſt ut omninò eum congreget.

At viride, purpureum, cæruleum, aliique colores medii moderatè ſenſum afficiunt, ac partim diſgregant partim congregant aſpectum, itaq; eum juvant non lædunt. Sed hæc ſint in medio (id eſt indeciſa nunc relinquantur.) Sunt enim altioris diſquiſitionis.

Non dissimulo in hac disputatione, me fuscum putare esse remissam nigredinem; quo facit quod Aristoteles fuscum inter medios colores non ponit, non scilicet distinguens inter fuscum & nigrum.

De tepore etiam sentio non esse eum formam seu qualitatem mediam inter calorem & frigus, (specie ab his differentem) sed calorem remissiorem, & magis diminutum (lawe) etsi non nesciam, non tantùm tepidum solem à Virgilio, & tepidos caminos à Lucretio dici pro calidis, sed etiam à Plauto tepidiorem hominem pro frigidiore, hoc est segniore, ut hic homo factus est tepidior.

Colores sunt veri vel apparentes.

Ad extremum moneo de coloribus mediis realibus (ut sunt color lactis, sanguinis) intelligenda esse, quæ de ratione compositionis eorum disputavimus; Nam apparentes colores aliis modis fiunt & quidem primum *per juxtimpositionem parvorum corpusculorum*, quæ sunt diversi coloris, ut si pulveres auri & carbonis juxtà ponerentur, vel albi aut nigri alicujus: Tunc enim appareret medius color, propter confusionem specierum diversorum colorum.

Secundò *per mixtionem liquorum diversorum colorum*, ubi quælibet pars coloris manet in sua materie, quomodo pictores faciunt varios colores.

Tertiò, *per conjunctionem lucis cum colore in eodem subjecto*, ut in carbone ignito: vel per incorporationem alterius coloris. Quomodo lucidum, (ut Sol) visum per nigrum obscurumq; apparet rubrum.

Quartò, *per irradiationem colorati (ut aërem vel nubem crassam ac densam) lumine in hoc incidente:* Quomodo in columba interdum apparent diversi colores medii, ubi propter diversum situm plumarum fit reverberatio varia splendoris aspicientes versus.

Apparentes autem colores medii sunt vel veri vel decipientes.

Verus color medius dicitur spiritalis, qui est species media mista ex realibus coloribus proveniens, ut Solis, qui naturaliter lucidus est, lumen si transeat per aëra atrum, & plenum terrestris exhalationis fert ad oculum speciem mistam, quæ rubedinem præ se fert, eamq; revera sine deceptione oculus percipit. Non autem hæc rubedo est in Sole, sed producitur in aëre ex commixtione luminis Solis cum aëre atro, & participe tum opacitatis tum perspicuitatis. Sic cum radii Solis incidentes in collum palumbæ reflectuntur ad oculum, nativo &

proprio

proprio pennarum colori adjiciunt albedinem ſpiritalem, & ita cum vero pennarum colore producunt colorem medium, & magis ad albedinem vergunt, quàm ſolus realis illarum pennarum color. Huc pertinet illud Alhazeni Opt. lib. 1. Color variatur pro lucis qualitate. Decipientes dicuntur qui falſo apparent viſui, ut fulgidum mixtum nigro, ſive per nigrum medium viſui colorem præſentat puniceum 4. Vitell. 157. ut ignis fulgidus per fumum nigrum propter craſſitiem materiæ & humiditatem aqueam, quæ illi fumo miſcetur, puniceus videtur. Si ponatur ante oculos pannus valde rarus, & poſt illum poſitum videatur corpus propter objectorum propinquitatem apparebit color corporis mixtus, vide comm. in Alhaz. Opt. 3. c. 6. 21. pag. 91.

XVII.

An propria, eaq; eſſentialia & ἀντίστροφα, rei adjuncta, ἐνεργείᾳ ſeu re ſeparari poſſint à ſubjecto: An abeſſe poſſint κυρίως, per ſe, perfectè propria: quæ neceſſaria quaſi emanatione profluunt à rei principiis: ſuperſtite nihilominus ſubſtantia?

Negatur.

HUic quæſtioni (quæ multa & amplectitur, & minimè otioſa eſt) explicandæ, & aureum pronunciatum Scaligeri noſtri in exercitationis 5. ſect. 6. quod infra afferemus, & ſatis calidæ exercitationes editæ à quodam exercitationum noſtrarum æmulo, occaſionem præbuerunt. In iis enim præter cætera exercitator ſtatuit: A' MUTIS PROPRIETATEM HOMINIS, ſcilicet facultatem loquendi, ESSE REMOTAM: & nihilominus mutos eſſe homines: Riſibilitatem à ſubjecto ſuo abeſſe poſſe, ſalva illius manente eſſentiâ: & universè: Eſſentiales rei proprietates abeſſe poſſe, ſine ejus interitu. Ac ſic argutatur:

1. Objectio. Quod non conſtituit rei eſſentiam, poteſt ſeparari & abeſſe citra rei corruptionem. τὸ γελαστικὸν & potentia loquendi non conſtituunt hominis eſſentiam (quo quidem fit ut non ingrediantur in hominis definitionem.) Ergo τὸ γελαστικὸν & δύναμις loquendi ab ho-

mine separari & abesse possunt, citra ejus interitum. Similiter mihi quidam objiciebat: Quod non sit pars definitionis, id abesse potest à rei essentia. τὸ γελαστικὸν non ingreditur in hominis definitionem. Ergo τὸ γελαστικὸν abesse potest ab hominis essentia.

2. *Objectio.* De potentia loquendi etiam hoc argumento utitur: Qui linguam habent ligatam destituti sunt potentia loquendi. Muti habent linguam ligatam. Ergo muti destituti sunt potentia loquendi. Attamen muti sunt homines. Homine igitur salvo, potentia loquendi, quæ essentialis illius proprietas est, abesse potest.

Responsio. Sed respondeo sine ulla sophistica: Nego prioris syllogismi propositionem majorem: Quando enim, dic, amabo te, mihi, quando fuit homo qui non habuit inclinationem, seu propensionem, seu δύναμιν internam ridendi, sed baubandi, latrandi, etsi vel nunquam riserit? Da mihi ignem, à quo sublata fuit δύναμις οἰκεῖα calefaciendi? Quando, & ubi corpori Physico ademta est omnis quantitas, salva nihilominus essentia? Proprium est omnium entium, præter primum, ait Scaliger noster, esse in aliquo UBI. Da mihi tu contrà, creatum & finitum Ens quod non sit necessariò alicubi? Ecquando fides salvifica inventa fuit, proprio suo destituta? Nihil tamen ex his omnibus est causa συστατική. Sanè absq; hoc non est fides vera, sed ficta, & fidei cadaver. 2. Tametsi, ut inquit Scaliger, quod non includitur in definitione, abesse possit à definito in definitione: non omne tamen (ut proprium) abesse potest à re definita, (id est subjecta, seu ab ipso subjecto seu ab essentia rei extra definitionem etiam considerata.) 3. Etsi, cùm in definitione non ponantur propria, definiens separat proprium à subjecto: ut hominem definiens abstrahit eum à potestate ridendi: tamen hæc separabilitas & abstractio tantum est Logica seu rationalis, non verò realis & Physica: sicut (quod Porphyrius dicit in Isagoge) sublatis speciebus ratio generis potest remanere in intellectu, non verò in reipsa. Sublatis enim primis substantiis, id est singularibus, tolluntur & secundæ: quia hæ in primis tantum subsistunt. Et homo nullus est in genere, nisi in singulis individuis. Si igitur, cum adversarius dicit, rem esse posse sine proprietatibus essentialibus, consideraret rem, ut, seu quatenus est tantùm in intellectu per quandam mentis abstractionem, haberet me sibi ὁμόψηφον. At cum velit, rem sine illis

Non potest dari substantia corporea verè subsistens non quanta, non circumscripta suis terminis.

posse

posse esse, ut aliquid reale & subsistens in rerum natura extra animam seu intellectum: non possum quin ab eo dissentiam. Ut enim essentiales proprietates proximè sequuntur rei οὐσίαν, & naturam, à qua emanant: ita à re seu essentia actu divelli non possunt. Itaque repeto quod scripsi, injustè à Buschero reprehensum: Ignis si non sit calidus, sed frigidus, seu, si non habeat δύναμιν calefaciendi, sed refrigerandi non est ignis.

Postea alterius syllogismi propositionem majorem nego. Nam & qui linguam ligatam habent, ut homines muti, habent hoc proprium LOQUENS, id est, ex Melanchthonis explicatione, quod loqui potest, & ad hoc opus conditum est. Etsi enim actu non loquantur, habent tamen ἔκλισιν seu inclinationem ad loquendum, nec sine ea subsistunt. Quod ne putes ex meo unius cerebro sculptum, audi præclari illius Schegkii doctissimum discipulum Nicolaum Taurellum Philosophum & Medicum in Academia Norica in Philosophico triumpho pag. 72. & 33. *Hominibus loqui posse, quod hoc sit essentialis animæ facultas, detrahi non potest.* Et: Mutum, licet omninò nequeat, loqui posse dicimus. *Aliâs homo non foret.* Audis proprietatem hanc, quæ dicitur δύναμις loquendi, ita necessariò & immutabiliter hominem consequi, ut citra hominis (ut subjecti) corruptionem abesse ab eo non possit: etsi enim abstractio aliqua fieri possit hujus proprietatis à subjecto: tamen ea separatio est tantum rationalis, non realis.

3. Objectio.

At inquis: *Ubi δύναμις & voluntas conveniunt, ibi igitur actio necessariò sequitur. Jam verò mutus habet voluntatem loquendi. Si igitur habet etiam δύναμιν loquendi, necessariò loquetur. At hoc nunquam fit. Ergo δυνάμεως loquendi est destitutus.*

Responsio 1. Nego propositionem. Ad esitationem, ambulationem & visionem plura requiruntur, quàm δύναμις & voluntas. Est tibi & voluntas & vis seu facultas edendi, ambulandi, videndi aliquid: & tamen non ambulares, non esitares, non videres, si deficerent te instrumenta, quibus animæ vires sese exercent, si esses ἄστομος (id est ore carens) destitutus pedibus, orbus oculis, aut haberes hæc organa malè affecta.

Muto propria hominis inclinatio immutata permanet.

Sic etiam, ut fiat locutio, præter δύναμιν & voluntatem requiritur justa organi dispositio seu affectio: Quæ cum non sit in multis mutis, non est mirum, quod non loquantur, etsi & δύναμιν & voluntatem loquendi habeant. Facultas enim organica, qualis est sentiens & motrix, non agit sine instrumentis. Quare & organica dicitur. Quid? quod qui surdi nascuntur cum lingua expedita, habent & facultatem & voluntatem loquendi, & tamen actio loquendi nunquam sequitur. Quid igitur in talibus præter ista duo requiritur, ut sequatur locutio? Auditio seu perceptio vocum. 2. Simplicius potest responderi distinctione ad Majorem. Ubi δύναμις scilicet non impedita & voluntas concurrunt, ibi actio sequatur necesse est. Ad assumpt. Mutus habet loquendi δύναμιν, sed impeditam. Sunt igitur quatuor termini in syllogismo. 3. Distingui etiam ex doctrina veterum potest inter potestatem accidentariam & essentialem. Mutus destitutus quidem est facultate loquendi accidentaria, intellige, quæ in actum exire *a* possit. Sed facultas loquendi essentialis non est ab eo remota. De priore facultate accipies illa verba Quintiliani lib. 10. pag. 466. Propterea, quòd sermonem auribus primum accipiamus, infantes à mutis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiamsi verba quædam emisisse traduntur, tamen facultate loquendi caruerunt.

a) Hoc respectu est in eo ἀδυναμία τ̃ λαλεῖν.

4. Objectio. Neque verò quenquam conturbare debet hoc antagonistæ: Tu statuis sine docilitate, disciplinæ capacitate, γελαστικῷ, δυνάμ loquendi, hominis essentiam salvam esse non posse. Ergo eo ipso statuas necesse est, proprietates istas esse hominis causas essentiales.

Solutio. Hoc enim non sequitur: sed istud. Ergo γελαστικὸν &c. est aliquid perpetuò connexum, seu individuo nexu copulatum cum causa essentiali, seu αἰτία ὄσιας, ut formâ. Sicut ex eo quod dico, substantiam corpoream salvam esse non posse sine omni quantitate (non enim potest mihi dari ulla ὄσία σωματικὴ non quanta,) non sequitur: me quantitatem facere causam essentialem corporatæ substantiæ, sed tantum hoc: corporeæ substantiæ inseparabile, necessarium & perpetuum esse adjacens quantitatem & corpoream substantiam re ipsa, id est quoad existentiam sejungi à quantitate & finitione non posse.

Syllogismus adversarii eodem redit:

Sine quo essentia rei salva manere non potest, id causæ essentialis habet

habet rationem, quippe ab & in illis causis solis omnis essentia rei est & subsistit. At sine proprietatibus essentialibus essentia corporis salva & integra esse & manere non potest, ajo ego. Ergo corporis proprietates mihi sunt causæ essentiales. Solut. Hic optarim adversario, ut ei vel per unum diem cum Peripateticis nostris consuetudo intercederet, quòd non dubitem, ex placida collatione fore, ut propositionis defensionem deserat: quo fortasse adductus quoq; fuisset, si audito doctiss. nostro physico Johanne Magiro in promotione 46. Candidatorum, perpendisset hæc ejus perorantis verba ex Zabarella: Corpora sublunaria locum requirunt ob suam imperfectionem. Locus ergo supplet id quod forma interna præstare nequit. Et: Stirpes loco non perspirabili inclusæ non vivunt. Nego igitur majorem. Nam sine caritate essentia fidei salutiferæ salva manere non potest, (est enim fides sine caritate mortua) nec tamen caritas habet causæ essentialis rationem. Nos & stirpes non possumus existere sine aliqua ætate, & aliquo Ubi locóve, & tamen neque ætas neque τὸ πȣ̃ seu ubi locúsve habet rationem essentialis causæ. Alteratio non nisi in tempore fieri potest, & tamen tempus non est rerum causa.

5. *Object.* Similis igitur farinæ est hoc. Per quod non est res id quod est, sine eo existere potest. Per calorem ignis non est id quod est, id est ignis: quia calor non est forma ignis: Ergo ignis sine calore existere potest.

Responsio. Nego majorem: nam nec per materiam, nec per cœlum homo est id quod est: & tamen homo sine materia & cœlo existere non potest.

6. *Objectio.* Vel: à quibus causis rei essentia primum esse incipit, per easdem porrò est & existit. At esse incipit à materia & forma. Ergo per materiam & formam quoq; porrò est & existit.

Responsio. Respondeo ad Majorem: à quibus &c. per easdem porrò est & existit scilicet ut causas interiores, sed non solas: Nam ad salutem domus vel navis non tantum forma interna sed etiam faber requiritur, ut ad hominis conservationem Deus & res, quæ à Medicis vocantur, non naturales, ut aër, somnus, vigilia, motus, quies &c. Ac res sine subjecto loco vel potius adjuncta ejus qualitate in naturali sua constitutione

Adjuncta prorsus nihil facere ad conservationem essentiæ, falsum.

tutione non conservari docent οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου nobilissimi quiq;. Extra aquam pisces non conservantur: ut nec sanguis extra venas: visionis actus non durat sine medio, hoc est perspicuo inter oculum & objectum interjecto. At medium hoc visionis causa non est, sed tantum conditio sine qua non (quæ impropriè vocari solet causa sine qua non.) Falsum igitur & hoc pronunciatum adversarii: Quod non est causa essentialis, eo submoto, rei substantia manere potest.

7. *Objectio.* Argumentatur & sic: Negare non potes, proprium sequi rem constitutam: &: adjuncta præter essentiam accedere. Ergo des mihi majorem necesse est mei syllogismi: Quod essentiam rei non constituit, ut adjuncta propria, sine eo essentia rei salva esse potest.

Solutio. Sed profectò hìc quoque nulla est consecutio. Etsi enim adjuncta propria præter essentiam & naturam accedunt, id est non includuntur in natura rei, non sunt de rei, ut loquuntur vulgò, essentia, non sunt rei pars: tamen rei existentia, salusq; & τοῦ εἶν continuatio sine illis esse non potest: plura enim requiruntur ad rei ὕπαρξιν seu existentiam & conservationem, quàm ad essentiam & ejus constitutionem: Quod ne ex capite meo videar fingere, age eximii Philosophi pronunciata videamus, quibus perpensis, non dubito quin adversarius protinus sit errorem suum abjecturus.

Zabarella lib. 2. de materia prima rerum cap. 3.

Existentia est quiddam additum essentiæ. Quo fit ut plura requirantur ad existentiam tribuendam, quàm ad essentiam rei constituendam. Essentiam enim propriam quælibet res habet per seipsam. At non quælibet res apta est per seipsam existere, sed multa sunt quæ alio egent, per quod existant. Et

Fons erroris adversarii est ignoratio hujus effati verissimi.

Multa requiruntur ad existentiam rei quæ non requiruntur ad essentiam constituendam: ut essentia materiæ à forma non pendet, nec tamen potest reipsa existere actu sine forma. Et paulò ante. Subjectum est naturâ prius accidente proprio: ut homo risibilitate: quo fit ut homo possit mente abstrahi à risibilitate & definiri sine illa: *non tamen sine illa existere potest.* Sic respiratio non est causa hominis: & tamen homo sine respiratione vitam tueri nequit.

Verùm, ne quis dubitare possit de sententiæ meæ veritate, & adversarii falsitate, audiatur vox & consensus prædecessorum nostrorum.

Zabarella

Zabarella lib. 2. de Qual. Elementarib. cap. 3. 9. & aliis.

Si humiditas ab aëre auferatur, non potest esse aqua. Et: *Ab aqua non potest auferri humiditas, nisi aqua intereat.* Dicit: *Non potest esse.* Quomodo ergo permaneat aqua sine hac essentiali & intima qualitate? Et: *Conservatio qualitatum elementarium est Naturæ ipsorum elementorum conservatio.* Et: *Ipsæ elementorum naturæ qualitates primas requirunt: & sine his existere nequeunt.* Audis mi Domine, sine calore non posse exsistere ignem. Et: *Primæ qualitates naturales cuiq; rei sunt, quia convenientes naturæ & necessariæ. Etenim sine his propria cujusq; misti & elementi natura non conservatur.* (Audis sine calore naturam ignis non conservari) *sicut nec generaretur sine præcedente harum adventu in materia.* Audis, ignem sine caloris quasi prævia præparatione non generari: Ac vides quàm gravis adversaria tibi constituta sit, nisi corrigas sententiam tuam. Quare & cùm integer syllogismus mihi objicitur: Quod essentiam rei non constituit, illud etiam à re abesse potest salva manente essentia. Proprietates essentiales non constituunt essentiam rei. Ergo essentia rei sine illis salva esse potest. Nego majorem cum omnibus philosophis: Nam ut rei maneat salva essentia, ad id requiruntur non tantùm causæ constituentes, sed etiam conditiones, sine quibus non, & perpetua προσκείμενα: Refrigeratio non constituit cor tuum: & tamen hoc sine illa vivum manere nequit. Sublatis igitur conditionibus sine quibus non & perpetuis adjacentibus necesse est salvam non manere essentiam. Sed operæ precium esse puto assertionis nostræ plura testimonia ad convincendum secus sentientem afferre.

Aristoteles 8. Phys. cap. 4.

Propter quid gravia leviaq; ad sua loca *a* moventur? Causa est ipsa apta esse aliquo moveri, καὶ τοῦτο ἐστι τῷ κούφῳ, καὶ βαρεῖ εἶναι: Atque hoc est levi & gravi ESSE: Illud quidem infero, hoc verò supero loco distinctum seu definitum, τὸ μὲν τῷ ἄνω: τὸ δὲ τῷ κάτω διωρισμένον. Cum dictum sit paulò antè à philosopho, gravia & levia, simul talia evaserunt, ad loca sua confestim tendere, quæritur nunc hîc: quid causæ sit, cur ad loca sua contendant? Respondet philosophus, hanc illorum naturam esse, & in hoc essentiam esseq; eorum consistere, ut in locis suis sint: quippe quorum essentia imperfecta sit, dum à locis suis exulant. Quæ non

a) *Intellige, si nihil eis officiat: nisi quid impediat.*

Sursum ferri est corporis levis, ratione interni principii immutabilis. Quod si non tendat sursum

actu, id est à principio externo, ideoq; fit per accidens.

non mea sed doctissimi commentatoris verba sunt. τὸ Imperfecta autem intellige ratione subsistentiæ & σωτηείας.

Jacob. Schegkius in comm. in prædicam. Aristot. pag. 37.

Levitas & gravitas inter se non permutantur, *permanentibus elementorum substantiarum formis.* (Audis elementi essentiam salvam esse non posse si ex gravi fiat leve, aut ex levi grave: quæ sanè adjuncta rei sunt, non causæ constituentes) *Quàmprimum enim, verbi gratia, permutatur aqua in aërem, tum statim & movetur* in locum aëris, & in eodem loco secundum naturam quiescit: quæ est ultima generatorum simplicium perfectio (intellige accidentalem.) Ut autem hanc loci perfectionem possint acquirere movendo, & quiescendo retinere, natura his tanquam ζώπυς quoddam (instar animæ) levitatem & gravitatem autore Aristotele ingeneravit. HIS ENIM EXTINCTIS *habitibus & abolitis statim illorum* quoque substantia perimitur. Audis iterum, Elementorum substantiam superstitem esse non posse, extinctis & abolitis adjunctis qualitatibus, levitate, gravitate, quæ principia illorum non sunt. Quid requiris amplius?

Idem in annotat. in Categorias pag. 479.

Raritate & densitate essentialibus (id est quæ sequuntur essentiam & generationem Elementorum) elementa sic differunt, ut permutationes harum ἐάν elementi corrumpant.

Idem in sententiam prorsus eandem in iisdem Commentar. pag. 61.

Sunt quidam habitus inseparabiles ab essentia formæ: quales sunt in Elementis gravitas & levitas, quibus mutatis simul contingit etiam species Elementorum mutari.

Non est quod hîc cavilleris. Dicit: Contingit, Ergo non est necesse. Nam contingens hîc usurpat pro eo quod consequitur ad necessarium, seu dicit de eo quod est necessarium. Hanc enim vocis significationem Aristotelis interpretes diligenter annotant. Usurpatur, inquit Schegkius in comment. in lib. prior. Analy. Arist. pag. 153. multifariam contingens. Quoddam est, quod consequitur ad necessarium. Quicquid enim ex necessitate est, id ipsum contingit etiam esse. Quomodo enim non contingeret esse, quod necesse est ut sit? Aliud est contin-

contingens, quod includit in se negationem necessarii. Et logicæ generalis lib. 4. Matth. Fl. Illyr. Contingens, inquit, vel dicitur de eo, quod necessarium est, verbi gratia: Quia necesse est homines mori, rectè dicitur, contingit omnes homines mori. Quicquid enim necessarium est, hoc etiam contingit &c. Sic igitur concludit Schegkius in 3. figur. Levitas & gravitas non possunt separari à formis Elementorum, adeò quidem, ut illis mutatis, horum quoq; essentia mutetur. Levitas & gravitas sunt habitus & propria accidentia. Ergò quidam habitus, quædam accidentia sunt inseparabilia à forma essentiali, adeo, &c.

Andreas Planerus in parte 1. Quæstionum Dialecticarum pag. 263. ad locum Arist. ubi dicit: πῦρ esse θερμαντικὸν, id est, habere potestatem calefaciendi, ita ut contrariam potestatem non habeat, cap. 13. de consecutione Enunciat. modificatarum.

Physicæ δυνάμεις ἄλογοι, potestates irrationales, sine ratione contradictionis describuntur. Ignis enim, verbi gratia, potentiam habet θερμαντικὴν, *& non habet etiam potentiam refrigerandi.* Ergo ignis in sua substantia semper est calidus, non potest non esse calidus, sive urat, sive non urat. Quod & sic dici potest: Ignis semper est ἑκτικῶς calidus, etsi aliquando non fuerit ἐνεργητικῶς calidus.

Zabarell. lib. 1. post. analyticorum.

Accidentia propria, quæ per se inhærent, neq; re neq; cogitatione à subjectis separari queunt. Non solum enim existere homo non potest sine risibilitate. Audin' hominem salvum esse non posse sine γελαστικῷ, quod tamen non est αἴτιον ejus constituens? *Sed ne imaginari quidem possumus hominem non esse risibilem. Essentiam enim hominis (subjecti) insequitur risibilitas, (ideo dicitur accidens essentiale.) Quare dum hominem cogitamus, rem risibilem cogitemus necesse est.* Igitur non possumus sine contradictione imaginari, hominem non esse risibilem.

Objectio. At enim, inquis, possum hominem considerare sincerè & purè, considerata ejus materia & forma, sine risibilitate. Subjungit igitur seu attexit, (*Solutio*) Zabarella responsionis loco. *Possumus quidem considerare hominem non considerando risibilitatem: Quod dicitur abstrahere, id est, cogitatione, mente, seu ἐπινοίᾳ separare: sed hoc aliud est separationis genus, de quo hic non loquimur.*

Scaliger exerc. 5. sect. 6.

Propria in definitione non ponuntur: à re tamen abesse nequeunt, cujus propria sunt. Etsi namq; sunt naturâ suis substantiis posteriora, non tamen re (id est quoad existentiam:) sed aut ipsamet res in secundo momento naturæ sunt, ut vult ipsemet Duns (Scotum intelligit) aut saltem omnino inseparabilia.

Julius Pacius ad Isagoges Porphyrii cap. 6. de Accident. unde & Zabarelliana lucis aliquid accipiunt.

Quædam accidentia (scilicet communia) separantur à subjecto per intellectum. Hoc autem modo etiam proprium à subjecto separatur seu abstrahitur. Quomodo ergo accidens (commune) & proprium differunt? R. *Abstractio proprii est privativa:* Accidentis positiva: *Id est: Homo considerari potest non habita ratione aptitudinis ad ridendum:* (quatenus est substantia constans ex materia & forma.) *Non tamen considerari potest ineptus ad ridendum:* quia sicut proprietas, *id est, aptitudo ad ridendum proficiscitur ex rei natura & essentia: Ita negatio hujus aptitudinis est contraria naturæ & essentiæ: Ideoq; homo ineptus ad ridendum non est homo.* (Sic Ignis expers potestatis calefaciendi non est ignis.) Accidens verò commune ita separatur à subjecto, ut intellectus in eo subjecto fingere possit inesse accidens contrarium. Exempli causa: Intellectus potest fingere corvum album, aut cygnum nigrum: quoniam albor vel nigror non pertinet ad essentiam cygni, & corvi, (id est, neque in essentia corvi includitur, neq; essentiam naturamq; proprium corvi consequitur.) Rectè igitur Porphyrius ait: posse intelligi (hoc est, cogitari) corvum album, licet hujusmodi intellectus falsus sit. Atque hoc ipsum Zabarella dicit lib. 1. in post. analyt. cap. 6. *Quamvis corvus nunquam sit sine nigredine: tamen imaginari possumus corvum non habere nigredinem.* Rectè igitur feceris, mi Domine, si tantos philosophos audieris, & affirmare desinas: Sublata risibilitate hominis substantiam posse esse & manere integram, & καθόλου: Omnem qualitatem & essentialem proprietatem posse à corpore suo subjecto abesse salva illius manente substantia. Ubinam quæso gentium sculpta, ubinam locorum exarata sunt hæc effata tua? Ubi & quando extitit aliquis homo non γελαστικός?

Jacob. Schechius in comm. in prædicamen. Aristot. pag. 77.

Contraria [a] *pleraq; permutabilia sunt inter se alternis:* (Hæc regula est.)

[a] Pleraq; omitti poterat.

Nisi

Nisi ex his nonnulla rebus insunt naturali & immutabili, principio: ut calor igni. (Hæc exceptio est.)

Planerus in prædic. Qualit. pag. 158. ex Schegkianis.

Est δυνάμις quædam, quæ proximè subsequitur οὐσίας rerum, ut sunt propriæ facultates, quæ cujusq; rei naturam formamq; sequuntur. Hæ non possunt *permutari suis contrariis.* Hæ potestates, diceret Aristoteles, non possunt ἀντικείμενα, id est, opposita. Non enim omnis potestas est susceptiva contrariorum: οὐ πᾶσα δύναμις τῶν ἀντικειμένων ἐστὶ δεκτική, de interpr. cap. 3.

Schegk. in præd. Quál.

Forma οὐσιώδης ignis in sua materia qualitates sic producit, ut earum ἐνέργειαι quidem *salva essentia suo contrario permutari possint, sed δυνάμεις non possint.*

Iterum audis: essentiales & proprias qualitates ita essentiam comitari, ut citra rei cui inhærent interitum non possint abesse.

Archangelus Mercenarius in Dilucidationibus pag. 146.

Qualitates media sunt, quibus materiæ forma copulatur, quibúsve in materia *conservatur:* quoniam tamdiu forma cohæret in eaque asservatur, quandiu illius formæ dispositiones in materia reperiuntur. Ita dispositionum ablatio in causa est, ut forma à materia divellatur: quoniam copula & vinculum formæ cum materia aufertur. Ad ablationem autem qualitatum mox forma corrumpitur: *cum forma in materia absq; qualitatibus constare minimè possit: ad cujus interitum tandem compositum ipsum corrumpitur.* Audis ad ablationem qualitatum tolli mediatè compositum ipsum: nec tamen qualitates sunt composito principia essendi: ut loquuntur nostrates.

Qualitates sunt compositi adjuncta: & tamen compositi interitus sequitur ad interitum qualitatum.

Idem pag. 238.

Ad ablationem caloris, forma substantialis ignis primò tollitur. Nota bene. Hinc rectè concludo. Ergo ignis si non sit calidus, non est ignis. (Intellige: quo ad subsistentiam seu actum subsistendi: Quia non agitur hic inter nos de φανταστῷ & Metaphysico.) Ratio est: quia forma ignis, unde igni nomen est & τὸ εἶ), sublata est. Liceat mihi uti syllogismo, quasi sorite: Sublato calore, simul forma substantialis ignis sublata est & corrupta. Sublata forma ignis, simul ipsum compositum, Ignis, sublatum est. Ergo sublato calore, simul Ignis corruptus est. Quid vis amplius?

Schegkius pag. 14. in Prædicab. propr.

Propria ἀντιστρέφοντα seu reciproca, quibus opponuntur ἀνασρέφοντα (non reciproca) sunt *quæ* SIMUL *sunt & non sunt cum subjectis: seu: quibus abolitis, necesse est etiam aboleri subjectum.*

Zabarella lib. 2. de Qual. Element. cap. 3.

Aër humiditate nunquam caret. Nam si hæc ab aëre auferatur, non potest esse aër. Et: *Ablata humiditate aqua interit, nec potest esse aqua sine humiditate.* Et: *Ab aëre & aqua separari auferriq; humiditas nō potest quin aër & aqua intereant.* Jam verò humiditas non est principium, sed adjunctum aëris. Quædam igitur adjuncta (intellige, quæ cum forma habent necessariam connexionem) à subjectis abesse, salva manente eorum essentia, non possunt. Ad summam: ἀνέλεγκτον (irrefutabile) est pronunciatum hoc. Nulla substantia omnia sua accidentia exuere potest, sine substantiæ interitu, etiamsi illa accidentia non sint causæ γενέσεως vel οὐσίας, id est, subjecti sui naturam non constituant. Sic nihil corpus esse aut nominari potest, quod omnibus proprietatibus corporis sit spoliatum & exutum. Et Nulla substantia est finita, quæ ex conditione suæ naturæ aliquibus qualitatibus non sit subjecta. Nihil enim est putus purus actus, præter Deum.

Major. *Minor.* *Concl.*

Et hæc sanctorum patrum: *Amputata proprietate naturali & essentiali, ipsa etiam natura cum illa perimitur. Natura enim cognosci nullo modo potest, nisi per essentialem, designantem eam, proprietatem.* Et: Ἀδύνατον στῆσαι φύσιν, ἐκτὸς τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων. Si ἀδύνατον est, sublatis physicis ἰδιώμασι, salvam esse naturæ veritatem: quid defendis contrarium naturalibus etiam & philosophicis rationibus seu logicis argumentis, definitione subjecti & adjuncti, & modo consensionis inter hæc? quid pronuncias: Adjuncta talia esse sua natura, ut abesse possint à subjectis citra essentiæ corruptionem? Et: *Proprietatum essentialium* ἀναίρεσις (sublatio, deletio) est φύσεων ἄρνησις. (naturarum negatio) Audis iterum, naturam seu essentiam sine proprietate sua constare non posse.

Natura, si sint propria salva, manent. Natura, si sint propria dempta, jacent.

Propria tolle hominis, nec homo manet integer: *idem*
Propria tolle Dei, nec Deus ipse manet.

Alia objectio, quæ 8. est, cum solutione.

Nec quicquam juvat ἀντιλέγοντα, quòd Melanchthon scripsit in Erotematis

tematis Dial. Quantitatem mutabiliter inesse substantiis corporeis: & aliud esse calorem: aliud ignis substantiam. Nam idem ait ibidem. Nullæ substantiæ creatæ omnia accidentia exuunt: intellige, sine earum interitu. Et, Magnitudo ita inhæret in substantia corporea, ut nunquam prorsus eam exuat substantia corporea. Et: ignis non abjicit calorem, scil. χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς, quod ex antegressis patet. Mutabiliter igitur inesse, non est idem, quod prorsus penitusq; separari posse, ut tu fingis: sed secundum gradus extensionis vel intensionis inesse: ut quantitas in adulto major est, in infante minor: & calor intentionem ac remissionem recipere potest. Minimè igitur sequitur: Quantitas inest corpori mutabiliter. Ergo simpliciter abesse potest à corpore, salvo corpore. Quid? quòd nullus Philosophorum ita tibi adversus est, atque Melanchthon: quod si non vides, quid, quæso, videas? Quia enim verè statuit, multa esse accidentia, quæ non possint abesse, præter subjecti corruptionem: pronunciat disertè, descriptionem Accidentis: Quod adest & abest præter subjecti corruptionem: non esse Catholicam. Verba ejus sunt: *Non opus est subtili disputatione, quomodo defendenda sit hæc definitio, cùm non conveniat omnibus accidentibus: quia ignis calorem non abjicit:* præter sui corruptionem: id quod ex præcedentibus intellectu proclive est. Aliud quidem calor est: aliud ipsa essentia ignis. Sicut aliud est materia hominis, aliud homo. At quis sanus inde concluserit; calorem ab igne, materiam ab homine, re abesse abesséve posse? Melanchthon disertè dicit contrarium. Calorem, inquit, in aliis rebus (quàm igne, ut in aqua) videmus separari. Quare aliud quiddam judicamus esse (calorem) quàm ipsam ignis substantiam. Abit igitur à te Melancht. & sic contra te concludit: Quædam accidentia non absunt præter subjecti corruptionem. Accidentia autem non sunt rei causa. Ergo aliquid, quod non est rei causa, non abest præter subjecti corruptionem. ¶ Ramus etiam, quem tuum esse putas, deserit te. Ac magna mihi videtur esse sive incogitantia sive audacia, quòd scribis: Ramus NUNQUAM docuit: adjuncta à subjectis non posse abesse. Adeóne oblitus es sententiæ ejus, quæ extat in commentariis Christianæ religionis: *Eum, qui essentiales proprietates rei neget, necessariò ipsam negare essentiam? Quod essentiale rei cuiquam sit, salva essentia detrahi non posse?* An non consideras, τὸ καθόλου πρῶτον nihil habere admistum contingentiæ, esse

tiæ, eſſe ſummè exquiſiteq; καθ' αὑτὸ? An non, qui vult aliquid eſſe ὁμογενὲς ἢ συγγενὲς, ſimul cum eſſentia generatum, penitus inſitum rei, & neceſſariò & ſemper, & per ſe & reciprocè, eo ipſo vult non poſſe à re abeſſe? At illud Rameum eſt. Hoc igitur.

Vide Rami Schol.

Alia objectio cum ſolutione.

Neque verò aliquid præſidii petere potes ex eo, quod Ramo ſubjectum & adjunctum ſunt πῆ, id eſt, modo quodam conſentanea. Sunt enim illa Ramo talia, ratione cauſarum & effectorum, quòd cauſæ eſſentiam effectorum conſtituant. Adjuncta verò non ſint (ut loqui ſolent) de ſubjecti eſſentia: ſed vel accidentaria vel naturali neceſſariaq; prorſus conſecutione & connexione rem conſtitutam conſequantur. Quid? quòd ipſe tibi non conſtas, & Rami diſtinctionem inter conſenſionem ἁπλῶς καὶ πῆ reipſa tollis. Tibi enim proprietas eſſentialis viventis corporis eſt edendi & bibendi neceſſitas. Eſt igitur eſſentialis modo quodam: & tamen dicis: Quàm ipſa anima vegetativa viventi corpori eſt eſſentialis: tam etiam eſſentialis eſt viventi corpori edendi & bibendi neceſſitas. Jam verò, mi Domine, anima vegetatrix eſt corpori eſſentialis ἁπλῶς ſeu ſimpliciter abſoluteque: quia eſt quiddam conſtituens & informans corpus vivum. Si igitur enunciatio tua è PARIBUS conſtituta (Tam enim & Quàm notæ ſunt parium) vera eſt, ut contendis ſanè παραλόγως, neceſſitas quoque edendi & bibendi erit corpori abſolutè eſſentialis. Itaque cauſæ conſtituentis, non proprietatis eſſentialis, rationem habebit. At proprietas tibi eſt eſſentialis. Quædam igitur proprietas eſſentialis tàm erit rei eſſentialis, (id eſt neque magis neque minus, neque levius neque arctius cum re conſentiet) quàm cauſa rem conſtituens. Verùm vide mihi, ut evertas te ipſum. Dicis: *Deus à corpore Moſis ſuſtulit neceſſitatem edendi & bibendi.* At inquam ego, non ſuſtulit animam ſeu potius facultatem vegetatricem. Falſum igitur: Quàm anima vegetatrix corpori eſt eſſentialis: tàm eſſentialis eſt etiam corpori edendi & bibendi neceſſitas. Dic mihi, quæſo, potéſtne perdurare homo 7. dies abſq; facultate vegetativa & vita? Non. At intermiſſa nutritione adhuc vita perſiſtere poteſt. Hippocr. autem autor eſt, hominem famem ferre poſſe ſeptem dies. Et Apollonius refert, Andream Argivum per omne tempus vitæ ſuæ ſine ſiti potuq;, etſi cibo uſus ſit, vixiſſe. Cardanus verò lib. 11. de ſubtilitatibus

affert exempla eorum, qui assuefactione progressu temporis id perfecerint, ut per septimanam semel tantùm cibum caperent. Johannes deniq; Langius, excellenter præclareq; doctus Medicus in libr. Epistolarum suarum medicinalium scribit: puellam quandam inediam per totum triennium sustinuisse. Quæ etsi sint singularia & rara, non tamen eorum nullæ naturales causæ ex conditione certa humidi calidi nativi & Idiocrasia corporis reddi possunt. (Relinquo nunc in medio, quod dicitur Accipenser, vulgo Sturio, sine cibo & potu vivere seu spiritum ducere ex aëris sereni tranquillitate.) Adde, quòd continuæ nutritionis necessitas non pendet ex vitæ conservatione ita, ut vita, quæ animæ in corpore μονὴ seu permansio est, absq; nutritione ne ullo quidem temporis momento persistere possit: seu ita, ut cessante aliquo modo nutritione, statim vita deficiat, & anima à corpore divellatur. Anima enim non sub quolibet gradu & mensura calidi & humidi in corpore consistit, sed præfinitam quandam mensuram amborum exposcit, ut in corpore conservetur. Sit autem (ex hypothesi) mensura hæc secundum tres gradus: Ac detur puer, in quo calidum & humidum reperiatur secundum gradus sex. Si in eo nutritio per dimidiam horam intermitteretur, aut vita deficeret, aut non. At vitam deficere, dici nequit: quia per semissem illum horæ, etiamsi duo gradus calidi & humidi dissolverentur, adhuc tamen quatuor numero gradus superessent, quibus anima vitaq; in corpore conservari possent. Ergo intermissa nutritione adhuc vita permanere poterit. Ad extremũ: animalia quæ per hyemẽ in latebris terræ degunt, seu recondita jacent, non assumunt tunc externũ nutrimentũ, nec tamẽ extinguuntur. Vides itaq; magis essentialẽ esse animam vegetatricẽ animato corpori, quàm necessitatẽ edendi & bibendi.

Alia numero nona object. Præterea Beurhusius nihil patrocinatur tuæ opinationi, cum ait: Modo quodam consentaneum significat, non essentiali, sed adventitia & accidentali accedente consensione. *Solut.* Nam vocem Essentiale ibi accipit pro eo, quod est, essentiam constituens: ac rectè vult tantùm causas effectorum essentiam constituere: proprium essentiam subjecti nõ constituere. Accidentale verò usurpat communiter pro eo, quod est, præter naturam & essentiã rei accedens, sive sit propriũ sive commune. Nõ accipit essentiale pro eo, quod essentiam perpetuò & necessariò consequitur: & Accidentale pro eo, quod

Inter subjectum & proprium est & accidentalis & essentialis consensio diversa ratione & consideratione.

tantum contingenter ſequitur. poſteriore ſanè notione ſenſuq; eſt eſſentialis (quæ πῆ dicitur) conſenſio inter ſubjectum & ἴδιον κυρίως, proprium præcipuè. Unde Ramo καθ᾽ ὅλου πρῶτον eſt, cùm partes inter ſe ſunt neceſſariæ, eſſentiales, æquales: non contingentes & accidentales. Sic in doctrina prædicationum Melanchthon propoſitiones, in quibus proprium de ſubjecto dicitur, refert ad cauſalem prædicationem, quam ait eſſe diſſimilem accidentali: item ad neceſſariam, cui opponit contingentem.

Alia object.

Ex his quodammodo: quod audio ab alio quodam pueriliter objici: Si propria eſſent eſſentialia, fieret confuſio categoriarum, ſubſtantia & accidens unum prædicamentum efficerent: judicari poteſt. Non enim ſequitur: (quod vel minutus philoſophus intelligit) Hoc eſt eſſentiale. Ergo eſt ſubſtantia: Ergo non poteſt eſſe accidens (ſuo modo, & voce generaliter accepta:) Ergo non eſt quantitas aut qualitas. Color, verbi cauſa, candori eſſentialis eſt. Eſt enim candoris genus, nec accidit candori: & tamen color eſt accidens, non ſubſtantia (id eſt, non eſt è genere rerum quæ ſubſtantiæ ſunt.) Hæret enim in homine vel cygno: ſicut contrà homo eſt accidens ſeu accidentale quid reſpectu candoris, ſervitutis vel dominii, vel alius rei ejuſmodi: & tamen collocatur in categoria Naturæ ſeu ſubſtantiæ, nec propterea ulla fit prædicamentorum confuſio. Accidens enim generatim appellatur, quod ita cum aliquo connexum eſt, ut ſit præter ejus naturam & eſſentiam: quo modo accipitur ab Ariſtotele in Categoria Relatorum, ubi ait: Dico ne quidem eorum, quæ conſtat referri ad ea, quæ reciprocantur, etiamſi nomina eis impoſita ſint, ullum reciprocari, ſi ad aliquod ACCIDENS referatur, non ad id quod referri debet, ut ſervus, niſi domini dicatur ſervus, ſed HOMINIS, vel bipedis, vel cujuſvis talis rei, non reciprocatur. Quia non eſt conveniens aſſignatio. Hactenus Ariſtoteles. (Hìc accidentale aliquid alicui dicitur, ſine quo id eſſe poteſt. Sic Zabarellæ ſpecies accidit generi, homo animali.) Non ergo eſt abſurdum, Calorem ſummum, exempli cauſa, eſſe qualitatem, ideoq; accidens, & tamen eſſe internam & eſſentialem, non accidentalem proprietatem ignis. Nec ἀφιλόσοφον eſt, dicere: Calorem ſummum eſſe qualitatem accidentalem non eſſentialem ignis, ſi per qualitatem accidentalem intelligas communiter accidens ſeu formam accidentariam:

Solut.

Homo eſt accidens candori, & candor eſt accidens homini diverſa conſideratione.

dentariam: per essentialem verò qualitatem, formam substantialem seu differentiam essentialem, quæ qualitas dicitur generis, cui adjungitur ad constitutionem speciei. Sic Aristoteles 5. 1. philosoph. cap. 14. Quale uno modo dicitur διαφορὰ οὐσίας, id est differentia, qua essentia ab essentia differt.

Alia object. Nec tueri te potes eo, quod Ramus dicit: Adjunctum esse subjecto suo levius. Hoc perpetuum non esse dico: sive intelligas subjectum esse principalius ens: Adjunctum verò minus princeps ens: sive intelligas argumentum adjuncti esse infirmius argumento subjecti. Primum enim, etsi homo, qui substantia est & subjectum pulcritudinis vel deformitatis, nobilius ens sit, quàm adjuncta hæc seu accidentia: His enim homo, proprium esse habens, seu in se, & non alio subsistens, substat: Hæc verò, nisi ab homine sustententur, nihil sunt: Tamen adjunctum, Homo præstantius est ens, quàm subjectus ei locus, quo recipitur. Deinde si semper argumentum adjuncti esset levius argumento subjecti, infirmius quoque hoc esset: potest organicè loqui & ridere. Ergo est homo: ubi ex adjuncto proprio concluditur subjectum: quàm illud: est homo. Ergo potest organicè loqui & ridere, id est, aptus natus est ad loquendum &c. ubi ex subjecto proprio concluditur adjunctum.

Object. At enim inquis: Volo ab homine hoc proprium removeri posse sine incommodo substantiæ & ὑπάρξεως ejus, & consequi hoc: Hoc non est homo. Ergo non est πεφυκὸς ad ridendum. Non verò istud consequi: Hoc non est πεφυκὸς ad risum. Ergo non est homo. Ergo potiùs argumentum adjuncti hìc levius fuerit. *Solut.* Mihi verò par utrobiq; est firmitas, & axioma certum est: *Cui tribuitur proprium, quod uni soli essentiæ convenit, huic etiam essentiam tribui necesse est: & contrà: cui adimitur proprium, uni soli essentiæ conveniens, huic etiam essentiam adimi necesse est.* ut: cui tribuitur proprium fidei, id est vera fides: cui adimitur fidei proprium, id est mortua fictaq; fides, quæ fides non est, nisi ὁμωνύμως, seu nudo nomine. Ac ut nihil est homo, quin sit πεφυκὸς ad risum: Ita nihil est πεφυκὸς ad risum, quin sit homo. Adde, quòd, si semper argumentum adjuncti esset argumento subjecti imbecillius, secum ipse Ramus pugnaret: cùm doceat in Scholis in doctrina Enunciatorum καθόλου πρῶτον esse, quod neque superius neque inferius sit, sed par & æquale:

quale: (exempli causa propriam qualitatem subjecto, & subjectum proprium suæ qualitati) quod dicit pariter ἐξισάζειν (æquari.) Atque hæc in mentem mihi venerunt hoc tempore, quæ, pro re nata, in sententiam affirmantem afferrem de quæstione: An sint quædam adjuncta, rei ita necessaria & essentialia, seu quæ rei ita propriè insint per essentiam, ut ab ea sine essentiæ incommodo removeri non possint: seu ut sine iis ὐσία salva permanere non possit: An accidentia immediatè vel mediatè orientia à natura proprii subjecti, quæ iccirco τῇ φύσει παρεπόμενα dicuntur (quale est propensio seu aptitudo naturalis ad ridendum & capessendam scientiam in homine,) ita *necessario* conveniant, ut ab eo nunquam possint separari, quin intereat. Affirmans sententia est ἀξιωματικὴ, & omnium verè philosophantium. Itaq; ab ea recedere mihi fuit religio. Quod autem *Necessitas* illa, quæ ex rei ipsius natura ducitur, in quibusdam sit absoluta seu simplex: in quibusdam verò sit immutabilitatis ἐξ ὑποθέσεως, seu supposito ordine universi, ut hoc à Deo institutum est, quod docent quidam è doctissimis Doctoribus Scholasticis & veteribus & recentioribus, de eo cum nemine litigo. Ac si quis infinitæ potestatis Dei assertor & propugnator est, eum me esse profiteor. Non quæ supra leges naturæ sunt, ex naturæ legibus judico. Deum multò plura & majora quàm usitatæ naturæ leges ferunt & requirunt, posse, statuo, nec eum ad cursum physicum alligo, astringóve. Nec interim constantissima instituta ordinationesq; & sanctiones divinæ sapientiæ temerè convello. Nec, quæ Deus ipse immutabilis decreti sui clavo fixit, refigo. Nec rebus tribuo, quod rerum opifex naturæ à se conditæ negat, negavit, negabit.

Repetitio status controversiæ.

Ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια: ψευδολογία δὲ καταλύεται, Invicta est veritas: quæ verò falsa sunt, seipsa destruunt.

XVIII.

An motus sit causa caloris?

Affirmatur.

NON habetur ambiguum, cùm inter duo corpora solida medius intercedit aër confricatione talium corporum eum rarefieri, indeque

deque calorem ejus intendi. Et motum per attenuationem atque attritionem partium gignere calorem docet Aristoteles 2. de cœlo. Et Scaliger calorem in motu ab aëris attenuatione fieri, qui propterea igniatur, ait exerc. 6. Et Averroes ait, Motum esse perfectionem calidi, quatenus est calidum, quia calorem conservat. Et modò laudatus Scaliger sentit, calorem in igni accidentalem esse à cœli motu rapidissimo. Cùm enim is habeat vim attenuandi & rarefaciendi, necesse est, ut habeat etiam vim calefaciendi. At Zabarella omnem calorem ignis à cœli motu repetit seu deducit: Et ignem in suo loco à cœli motu ac attritione calidum effici, dicitur in Meteorologiæ Aristotelis lib. 1. cap. 4. Quid ergo est, quod Scaliger ait Exerc. 23. sect. 1. *Cœli motus non est causa caloris: Calor non est à cœlo, quia movetur cœlum.* Respondeo: Distinguit inter causam proximam & remotiorem. Cœli motus est causa caloris remota, quia cœli motus est causa motus ignis: seu moto cœlo movetur ignis. Ignis verò motus est causa caloris proxima. Itaque non negat simpliciter calorem esse à motu cœli. Id ostendunt hæc ejus verba: In igne accidentalis calor est à cœlo, sed non quia movetur cœlum, sed quia ignis movetur (scilicet à cœlo) ut motus ignis in igne causa sit (caloris) non autem cœli motus, nisi quia cœli motum dicimus esse causam motus ignis. Sanè quicquid est causa causæ, etiam est causa causati. Motus cœli est causa motus ignis, unde calor. Ergo & motus cœli est causa caloris.

Calor ignis est à motu cœli: quia motus cœli movet ignem: & hic proximè est à motu ignis.

Fit autem calor non tantùm à solidis, sed etiam fluidis corporibus; cujusmodi sunt nubes & aqua. Nubium namque motu fit elisio. In solidis autem corporibus fit celerius & frequentius, quòd aër qui inter ea intercedit, atque is etiam fortasse, qui est in superficie ejus, parvo momento calefit & ignescit. Distentum enim attenuatur. Id quod evenit in sagittæ quoque trajectione. Idem namq; efficitur recta productione una longa, quod brevi frequentiq; iterata confricatione. Scalig. exer. 16. Sic plumbum, id est, plumbei sagittarum mucrones liquescunt per calorem motu aëris. Exerc. 9.

At quid istud est? ait Scaliger: *Quòd negas motum esse caloris in igne causam,*

Object.

ſam, tametſi ea ſententia magnorum philoſophorum authoritate ſubnixa circumfertur: tamen aliter atq; illi ego quoq; ſentio. Annón hìc negat cum Cardano Scaliger, Motum cœli eſſe caloris in igne cauſam? Reſp. Negat eſſentialem igni calorem eſſe à motu cœli, quòd calor ille ſit à forma. Ignem per ſe, inquit, calidum eſſe, palàm eſt. Et: Abſurdum eſt qualitatem illam aliunde quàm à ſua forma proficiſci. Nam ſi eſſet in igne calor (ſcilicet eſſentialis) à motu cœli, à cœli quiete eſſet in terra frigus. Exerc. 23. ſect. 1. At non negat Scaliger aliquem in igne exiſtere calorem per accidens: accidentalem ſeu acceſſorium ignis calorem exiſtere à cœli motu: imò id diſertè affirmat. Quærit enim: An motus ignis à cœlo ad calorem eſſentialem addat etiam accidentalem igni? & reſpondet: Addit ſanè. Exerc. 23. ſect. 1.

Reſp.

Dua object.

Porrò objiciuntur è Cardano duo: 1. Aquas frigus à motu accipere, ſeu aquas fieri curſu frigidiores. 2. Aërem motu refrigeſcere, quòd omnes venti validi ſint frigidi. Ad primum reſpondet Scaliger: Aquas curſu frigidiores fieri, quis niſi parum ſubtilis & perſpicax concedat? Nam aquæ propter denſitatem obtinent proportionem ſolidiuſculi corporis. Atterunt eum aërem ſicut plumbum funda emiſſum. Ex attritione autẽ exiſtit calor. 2. Cùm aqua tepida per hyemem è ſcatebris erumpit, frigus accipit non à motu, ſed ab aëre, ſicut æſtate frigida cùm erumpit ab inſolato aëre calefit. 3. Ne potu frigidæ torminibus tententur equi, eos ubi non licet ad fluvios potum ducere, atque iccirco ad eum uſum è puteis hauritur aqua, multis agitationibus ea verſatur in gyrum baculo, atque etiam verberatur. Ad hunc enim modum attenuatur, & aërem concipit: ſicut & in curſu. Motu igitur aliquid caliditatis aqua accipit, alioquin fruſtrà baculo circumgyraretur & percuteretur. Ad 2. reſpond. Scalig. 1. Motu aëris ignis in nubibus generatur. 2. Cùm ventorum materia ſit ex calida exhalatione, non fiunt venti motu frigidiores, ſed aëris conceptione, qui nivium aut pruinarum halitu fit talis. 3. Ventos validos omnes eſſe frigidos ridebit is, qui in Cypro, Rhodo, Sicilia, &c. cognitum habuerit Auſtrum vel Vulturnum.

Reſp.

Object. At quieſcentem aquam calidiorem eſſe quàm motam, ait Zabarella. Quies igitur potiùs quàm motus eſt cauſa caloris. *Solut.* Reſp. Nego conſecutionem: Loquitur enim Zabarella de aqua ſtagnante, dio & radiis

radiis ſolis expoſita. Ea eſt calidior, quàm mota (id eſt fluens aqua ſtagnante eſt frigidior) non quidem propter quietem. (Quies enim per ſe apta non eſt ad generandum calorem) ſed quia firmius ſuſtinet & recipit actionem agentis calefacientis, ſcilicet percuſſionem radiorum Solis, & magis tangit aërem calidum contiguum, quàm aqua fluens. Hæc enim dum fluit, non expectat actionem aëris agentis, ſed quaſi prætervolat: Quieſcens verò eam expectat, & magis recipit. Sed aquam motu calefieri, quod Scaliger vult, omninò negandum videtur. Non enim deprehendimus aquam fluminis velociſſimè fluentem ex eo motu fieri calidam. Aqua enim, ait Zabarella, lib. de calore cœleſti cap. 3. eſt corpus natura frigidum ac denſum. Non igitur poteſt à motu calorem recipere. Non eſt etiam tanta ejus motus velocitas, ut atterere propinquum aërem poſſit, neque ipſum aquæ corpus durum ac ſolidū eſt, quale ad atterendum aërem eſſe oporteret, & quamvis motus ille dicatur velociſſimus, reſpectu aquæ, quæ eſt minus agitabilis quàm aër: tamen reſpectu aëris eſt motus tardus, ideo potius fit ut propinquus aër à contactu aquæ frigeſcat, quàm ut ab ejus motu calefiat. Zabarella hìc nobis non videtur eſſe deſerendus.

Solutio.

Quid igitur fiet Scaligero? Hunc ſic interpretabimur: Aqua motu calefit, id eſt, aliquid de frigiditate ſua remittit, aliquem gradum frigiditatis ſuæ amittit, non incaleſcit propriè, ſed fit paulò minùs frigida. Calida etiam efficitur aqua per motum, ſi aër ſit calidior. Sic accipi poſſunt verba Scaligeri exerc. 74. ſect. 7. Aqua, quæ motu calefit, concipit aëris qualitatem, per quam ad ejus formam perducatur.

Quomodo motus eſt caloris cauſa?

Obſervandum & hoc eſt: Quærit Scaliger: Quomodo motus ſit caloris cauſa? Reſpondet per attenuationem ſeu attritionem aëris (id eſt, motus eſt caloris cauſa, quia rarefacit & attenuat: attenuationem ſequitur calor.) Sed id univerſim verum non eſt. Ad inanima reſtringendum. Animal enim motu quidem calefit, ſed non per attritionem. Quomodo igitur? per congregationem & diffuſionem ſpirituum: cùm ambulat homo, ſpiritus commeant ſeu tranſeunt ab internis partibus ad externas, quæ ex magno ſpirituum concurſu incaleſcunt. Ad extremum, ut motus per attritionem manifeſtè & ſenſibiliter calefaciat, neceſſariæ ſunt Zabarellæ hæ conditiones: 1. Ut Mobile ſit prope rem atterendam. Naturalis enim effectio fit per contactum. 1. De

Quomodo & cur animal ex motu incaleſcat?

ortu

ortu & interitu. 2. Ut ſit ſolidum. 3. Ut vehementer velociterq́; moveatur. Itaq; corpus, per quod fit motus rei mobilis, ſit tenue & rarum, & naturaliter calidum: quia ſi denſum ſit, impedit mobile, ne celeriter moveatur, eiq́; ita reſiſtit, ut nequeat motus tantæ eſſe velocitatis, quanta ad atterendum corpus illud requiritur.

Object. *Objicis*: Cœlum non tangit inferiorem mundum. Quomodo igitur hic motu cœli, quamvis velociſſimo ac rapidiſſimo, fit calidus? Reſpondet Zabarella: Tangit cœlum ſeu cœleſtis globus orbem inferiorem, ſeu hunc elementarem mundum per orbem Lunæ, ut per partem ſuam. Poteſt igitur motus ejus caloris in his inferioribus per rarefactionem & attritionem cauſa eſſe, præſertim cùm cæteræ quoq; conditiones hîc concurrant.

XIX.

Quomodo in Philoſophia Media inter extrema diſtinguenda ſint?

PRoferamus aliquid in medium de Medio inter extrema. Multa enim in Philoſophia, in quibus ad tenue veritas elimatur, requirunt diſtinctionem Medii, ut cum quæritur, utrum medium ſit inter Subſtantiam & Accidens, virtus ſitné medium inter extrema vitia per participationem eorum, an per συναπόφασιν, id eſt, ſimul utriuſque negationem. Utrum homo ſit media ſeu tertia aliqua eſſentia ſeu natura κατὰ συναπόφασιν, hoc eſt, quòd neque ſit corpus, neque anima, ſicut mulſum nec mel eſt, nec aqua, ſicut item Electrum nec aurum, nec argentum eſt, ſed crama, ſeu miſtum quiddam ex his. Theologi etiam diſputant de media potentia, & an perſona & perſonale ſit medium inter ſubſtantiam & accidens inter ſubſtantiale & accidentale. Itaque varietatem Medii enucleatius explanabo, eamq́;, ut ſub aſpectum ſtatim ſubjiciatur, tabella comprehendam.

I. TABU-

I. TABULA.

Medium est per extremorum
- *Negationem. Non videns, ut lapis, inter videntem & cœcum.*
- *Participationem in gradu*
  - Æquali.
    - *Viridis inter album & nigrum: tepidum inter calidum & frigidum. Zabarell. de motu ignis c. 9.*
  - Inæquali.
- *Comparationem Seu similitudinem. Homo inter terrena & divina.*

II. TABULA.

Medium est per
- *Remissionem: quæ fit per*
  - *Accessum ad extrema contraria, & recessum ab eis.*
  - *Mixtionem*
    - *Extremorum.*
    - *Causarum.*
- *Negationem.*
  - *Extremorum.*

III. TABULA. Διχοτόμως.

Medium est per extremorum
- *Participationem*
  - *Veram seu propriam. Hoc est, Medium*
    - *Simpliciter. Estq́; differens specie ab utroq́; extremorum.*
    - *Quodammodo, Estq́; non differens specie ab altero extremorum. (Hoc medium simpliciter spectatum est medium per negationem extremorum.)*
  - *Analogicè*
- *Negationem seu* συναπόφασιν, *(quod medium nonnunquam est cum similitudine utriusq́; extremi)*

DECLARATIO.

1. Deus est medium inter substantiam, qualis composita est, & Accidens, medium, inquam, per simul utriusque negationem.

Colores medii differunt, specie ab extremis.

2. Rubrum inter album & nigrum medium est per participationem seu compositionem commixtionémve extremorum, quod differt specie ab utroq; extremo. Zabarell. in phys. & Piccolomin. in Ethic.

3. Si multo albo parum nigri admisceatur, medium hoc est quodammodo inter album & nigrum per participationem extremorum inæqualem, quod non differt specie ab altero extremorum, sed secundum magis & minus, quia remissio hîc tantùm quædam est albedinis, hoc quasi medium constituens.

4. Formæ elementorum à quibusdam philosophis dicuntur mediæ inter formas substantiales & accidentia, non per participationem aut negationem extremorum, sed per quandam similitudinem, seu participationem conditionis alterius extremi (quatenus scilicet formæ elementorum modo aliquo intendi & remitti possunt, quod non competit aliis formis substantialibus, sed accidentalibus.) Zabarella hanc participationem conditionis seu similitudinem explicat, sic ferè: cùm formæ elementorum revera contineantur sub altero extremo, & quidem in formis substantialibus numerentur, similes tamen sunt accidentibus, non quidem omninò, sed quodammodo, id est, hac conditione, quòd modo aliquo (id est sine mutatione speciei,) intenduntur ac remittuntur, etsi non recipiant magis & minus, ut accidentia: & hac conditione ipsæ inter omnes formas substantiales solæ participant. libro de Mistione, cap. 13.

5. Homo est medius, seu naturæ mediæ inter divina & terrena, seu inter mortalia & immortalia, non quidem per veram extremorum participationem, sed solùm per eorum similitudinem. Homo enim pluribus facultatibus præditus est, quarum aliæ faciunt eum similem brutis animantibus & rebus ignobilioribus, aliæ verò assimilant eum divinis, ut intellectus, præsertim speculativus. Vide Zabarellam lib. de mente humana cap. 9.

6. Homo non est medium ut mulsum, quod nec mel nec aqua est: hac enim ratione non esset animæ & corporis unio propriè sic dicta inconfusa, sed confusio. Uniuntur autem corpus & anima sic, ut utraq; manentibus distinctis proprietatibus efficiant unum ὑφιστάμενον, quod hominem dicimus.

7. Scoto acutissimi ingenii viro rubrum inter album & nigrum medium

dium est, per similitudinem seu convenientiam quandam naturalem medii cum extremis. Medium, inquit, componi dicitur ex extremis, ut rubrum ex albo & nigro, non quòd media qualitas in se habeat extrema tanquam partes sui: est enim simplex sicut & ipsa extrema: sed ita dicitur, quia est convenientia quædam naturalis medii cum extremis, non autem quòd extremum sit in medio. Hæc Scoti verba subobscura sunt. Puto autem ego non multum vel nihil ab hac sententia abesse mediam qualitatem (ruborem, fuscedinem vel pallorem) componi ex extremis, non reali propriaque compositione, seu non quòd habeat in se actu & formaliter aliquem gradum extremarum qualitatum contrariarum (alboris & nigroris) sed quòd virtualiter contineat gradus earum remissos. Vide 10. primæ Phil. Arist. ubi albo & nigro cæteros colores componi negatur. Eadem prorsus sententia cum distinctione in tabella proposita tradita est in epitome Physicæ, Bartholomæi Arnoldi Usingensis, his verbis (mutatis tamen à me barbaris in latina:) Medium per participationem sapit naturam extremorum non semper secundùm rem, sed aliquando secundùm similitudinem & convenientiam, quomodo medii, qui dicuntur, colores medii sunt: qui etsi æquè simplices sunt atq; extremi, convenit tamen unus magis cum uno extremorum quàm cum altero ratione actionis in misto: pallidum cum albo, fuscum cum nigro magis convenit. Ex commixtione & actione causarum (ut qualitatum) extremorum fieri medios colores docet Aristoteles in libro de sensu & sensili.

Colores medii non sunt compositi ex extremis.

8. Medii per participationem æqualem, id est, cum quid ex uno tantum participat quantum de altero. Exemplum observavi historicum apud Livium 1. ab urbe. Medium erat Anco ingenium, id est, tam proclive ad pacis quàm ad belli artes.

9. Inter virtutem exactam seu cunctis numeris absolutam, & vitium exactum datur medium per magis & minus, seu per accessum & recessum ab uno extremorum. Cùm enim nos constantiùs vel inconstantius bonum virtutis possideamus, ob nos virtus remitti potest & intendi: at unum dicitur medium consurgens, ex mixtione extremorum specie distinctum ab illis. Non enim virtus cum vitio permisceri potest.

10. Datur etiam inter virtutem & vitium medium per negationem, id eſt, aliquid quod neutrum eſt, de quibus vide Piccolominæum quarto gradu de virtute morali cap. 46.

11. Perſona non eſt medium per negationem inter ſubſtantiam & accidens, ſed ſubjicitur ſeu ſubordinatur ſubſtantiæ ut toti univerſali pars ſubjectiva, ut loquitur Schola.

12. Anima hominis rationalis eſt forma quædã media inter naturam materialem & immaterialem, hoc eſt, ex quodammodo media, & quodammodo ex utraq; forma compoſita, quia eſt utriuſq; ſimilis & particeps.

13. Aër eſt medius inter ignem & terram, quia comparatus utrique extremo habet cum utroq; quandam ſimilitudinem & convenientiam.

14. * Gravis enim eſt comparatus igni: Levis eſt comparatione terræ. Pullum eſt medium miſtum ex atro & rubro. Scaliger exerc. 35.

15. Motus, quo ignis in ſua Sphæra circumfertur, nec eſt à medio (aſcenſus) nec ad medium (deſcenſus) ſed circa medium (φορὰ quædam in orbem) & medius inter naturalem & contrarium naturæ, non per participationem, ſed per negationem extremorum. Et tamen habet ſimilitudinem cum utroq; extremo. Similis enim eſt naturali, quatenus naturam conſervat, non lædit. Similis etiam eſt motui naturæ contrario, quatenus fit ab externo principio. Zabarella lib. de motu ignis in orbem cap. 9.

16. Inter extremos ſapores medii ſunt (ut ſalſus, acidus) per participationem naturarum extremorum, ita ut fiant ſicut veri ac reales colores ex concurſu cauſarum extremorum medio modo agentium in alimenti digeſtione. Sed hoc in medio relinquo.

Porrò medium per negationem interdum ſimul eſt medium per potentiam ad receptionem utriusq; extremi: ut materia ſeu ſubjectum eſt medium & tertium, quod poteſt recipere utrumq; extremum, ſeu utrumq; contrarium viciſſim. Vide Toletum ad cap. 6. 1. phyſic. context. 56.

XX.

An motus ſit caloris cauſa.

NON habetur ambiguum, cum inter duo corpora ſolida medius intercedit aër, confricatione talium corporum aërem medium rarefieri,

rarefieri, indeq; calorem ejus intendi. Et motum per attenuationem & attritionem partium gignere calorem, docet Aristoteles 2. de cœlo. Et Scaliger, cujus nomini ferè assurgo, calorem in motu ab aëris attenuatione fieri, qui propterea igniatur, ait exerc. 16. Et Averroes inquit, motum esse perfectionem calidi, id est, dare perfectionem calido, quatenus est calidum, quia calorem conservat. (Non enim hæc sententia vera est Averrois, nisi in sensu causali.) Rursus Scaliger sentit calorem in igne accidentalem esse à cœli motu rapidissimo. Cùm enim is habeat vim attenuandi & rarefaciendi, necesse est ut habeat etiam vim calefaciendi. At Zabarella omnem calorem ignis à cœli motu ac attritione arcessit seu deducit. Et ignē in suo loco à cœli motu atq; attritione calidum effici dicitur in Aristotelis Meteorologia lib. 1. cap. 4. Quid ergo est quod Scaliger ait exer. 23. sect. 1. Cœli motus non est causa caloris. Calor non est à cœlo, quia movetur cœlum? Respondeo: Distinguit inter causam proximam & remotam. Cœli motus est causa caloris remotior, quia cœli motus est causa motus ignis, seu moto cœlo movetur ignis. Ignis verò motus est causa caloris proxima. Itaq; non negat simpliciter, calorem esse à motu cœli seu ætheris. Id docent hæc ejus verba: In igne accidentalis calor est à cœlo, sed non quia movetur cœlum, sed quia ignis movetur (intellige à cœlo) ut motus in igne causa sit (caloris,) non autem cœli motus: nisi quia cœli motum dicimus esse causam motus ignis. Sanè quicquid est causa causæ, est etiam causa effecti. Motus cœli est causa motus ignis, unde calor. Ergo & motus cœli est causa caloris. Fit autem, ait Scaliger, toties nobis decantatus calor non tantùm à solidis corporibus, sed etiam à fluidis, cujusmodi sunt Nubes & aqua. Nubium namq; motu fit elisio. In solidis autem fit celeriùs & frequentiùs, quòd aër, qui inter ea intercedit, atque is etiam fortasse qui est in superficie ejus, parvo momento calefit & ignescit. Distentum enim attenuatur. Id quod evenit in sagittæ quoque trajectione: Idem namq; efficitur rectâ productione, una longa, quod brevi frequentiq; iterata confricatione. Scalig. 16. Sic plumbum, id est, plumbei sagittarum mucrones, liquescit per calorem motu aëris. Exerc. 9.

Motus est causa perfectionis calidi.

Zabar. contra Scalig. omnem calorem ignis à cœli motu repetit.

Ἀπορία.

Solutio.

An calor tantum à solidis corporibus existat?

At quid istud est: *Quòd negas*, ait Scaliger, *motum esse caloris in igne causam, tametsi ea sententia magnorum philosophorum autoritate subnixa circumfertur,*

fertur, tamen aliter, atq; illi, ego quoq; sentio. Annón hîc negat cum Cardano Scaliger, Motum cœli esse caloris in igne causam?

Respondeo: Negat essentialem igni calorem esse à motu cœli, quòd is sit à forma. *Ignem per se,* inquit, *esse calidum, palàm est.* Exerc. 16. Et: Absurdum est qualitatem illam aliunde quàm à sua forma profisci. Nam si esset in igne calor (supple essentialis) à motu cœli, à cœli quiete esset in terra frigus. Exerc. 23. sect. 1. At non negat Scaliger aliquem in igne existere calorem per accidens, & secundariò accidentalem seu accessorium ignis calorem existere à cœli motu. Imò id disertè affirmat. Quærit enim: An motus ignis à cœlo ad calorem essentialem addant etiam accidentalem igni: & respondet: Addit sanè. Exerc. 23. sect. 1.

Calor ignis est à motu cœli, quia motus cœli movet ignem: & sic proximè est à motu ignis.

Porrò objiciuntur è Cardano duo: 1. Aquas frigus à motu accipere, seu aquas fieri cursu frigidiores. 2. Aërem motu refrigescere, quod omnes venti validi sint frigidi.

Ad 1. respondet Scaliger: Aquas cursu fieri frigidiores, quis nisi parùm subtilis & perspicax concedat? Nam aquæ propter densitatem obtinent proportionem solidiusculi corporis. Atterunt enim aërem, sicut plumbum funda emissum. Ex attritione autem existit calor. 2. Cum aqua tepida per hyemem è scatebris erumpit, frigus accipit nòn à motu, sed ab aëre, sicut æstate frigida cum erumpit, ab insolato aëre calefit. 3. Ne potu frigidæ torminibus tententur equi eos ubi non licet ad fluvios potum ducere, atq; iccirco ad eum usum è puteis hauritur aqua, multis agitationibus versatur in gyrum baculo, atque etiam verberatur. Ad hunc enim modum attenuatur, & aërem concipit, sicut & in cursu. Motu igitur aliquid caliditatis aqua accipit, alioquin frustrà baculo circumgyraretur & percuteretur. Ad 2. respondet Scalig. 1. Motu aëris ignis in nubibus generatur. 2. Cùm ventorum materia sit ex calida exhalatione, non fiunt venti motu frigidiores, sed aëris conceptione, qui nivium aut pruinarum halitu fit talis. 3. Ventos validos omnes esse frigidos ridebit is qui in Cypro, Rhodo, Sicilia &c. cognitum habuerit Austrum vel Vulturnum.

At quiescentem aquam calidiorem esse quàm motam, ait Zabarella. Quies igitur potius quàm motus causa caloris est. Resp. Nego conse-

consecutionem, loquitur enim Zabarella de aqua stagnante, dio & radiis solis exposita, ea est calidior quàm mota (id est, fluens aqua stagnante est frigidior) non quidem propter quietem : quies enim per se non apta est ad generandum calorem, sed quia firmius sustinet & recipit actionem agentis calefacientis scil. percussionem radiorum solis, & tangit aërem calidum contiguum, quàm aqua fluens: hæc enim dum fluit non expectat actionem aëris agentis; sed quasi prætervolat: quiescens verò eam expectat & magis recipit.

Sed aquam motu calefieri, quod Scaliger vult, omnino negandum videtur. Non enim deprehendimus aquam fluminis velocissimè fluentem ex eo motu fieri calidam. Aqua enim, ait Zabarella lib. de calore cœlesti, cap. 3. est corpus natura frigidum ac densum. Non igitur potest à motu calorem recipere. Non est etiam tanta ejus motus velocitas, ut atterere propinquum aërem possit, neque ipsum aquæ corpus durum & solidum est, quale ad atterendum aërem esse oporteret; & quamvis motus ille dicatur velocissimus respectu aquæ quæ est minus agitabilis quàm aër : tamen respectu aëris est motus tardus, ideò potius cõtingit, ut propinquus aër à contactu aquæ frigescat, quàm ut ab ejus motu calefiat. Zabarella nobis videtur hîc non esse deserendus. Quid igitur fiet Scaligero? Hunc sic interpretabimur: Aqua motu calefit, id est, aliquid de sua frigiditate remittit, aliquem frigiditatis suæ gradum abjicit, & perdit, non incalescit propriè, sed fit paulò minus frigida. Calida etiam efficitur aqua per motum, si aër sit calidior. Sic accipi possunt Scaligeri Exerc. 74. sect. 7. verba: Aqua quæ motu calefit, concipit aëris qualitatem, per quam ad ejus formam perducatur. Observandum & hoc est. Quærit Scaliger, quomodo motus sit caloris causa? Resp. per attenuationem seu attritionem aëris, (hæc συνεκτικὴ & proxima causa est) sed id universim verum non est, circumscriptionis indiget, ac in animali restringendum est. Animal enim motu quidem calefit, sed non per attritionem. Quomodo igitur? Per congregationem & diffusionem spirituum. Cùm ambulat homo, spiritus commeant seu transeunt ab internis partibus ad externas, quæ ex magno spirituum concursu incalescunt.

Ad extremum, ut motus manifestè & sensibiliter calefaciat, necessariæ sunt hæ conditiones. Una, ut mobile propius sit rem atterendam. Naturalis enim effectio fit per contactum: primo de ortu & interitu: secundò ut sit solidum (cujus partes sunt densiores:) tertiò ut vehementer velociterq; moveatur. Itaq; corpus per quod fit motus rei mobilis, sit tenue & rarum, & naturaliter calidum, quia, si densum sit, impedit mobile, ne celeriter moveatur, eique ita resistit, ut nequeat motus tantæ esse velocitatis, quanta ad atterendum illud corpus requiritur.

Objicis: Cœlum non tangit inferiorem mundum, quomodo igitur hic motu cœli, quamvis velocissimo, fit calidus? Resp. Zabarella: Tangit cœlum seu cœlestis globus orbem inferiorem, seu hunc elementarem mundum per orbem lunæ, ut per partem suam. Potest igitur motus ejus caloris in his inferioribus per rarefactionem & attritionem causâ esse, cùm cæteræ quoq; conditiones hic concurrant.

At motu tamen per attritionem solem non calefacere per se hoc ipso argumento manifestum evadit. Motus solidi corporis tunc tantùm atterit, cùm tangit.

An Sol motu calefaciat: Zabarella affirmat ex sententia Peripateticorum: Scalig. negat exer. 74. sect. 2. eò quòd, si Sol non moveretur, fixis radiis in rem stabilem magis esset calefacturus.

Sol autem non tangit inferiorem mundum, sed sphæra Lunæ: Ergo Sol motu per attritionem inferiorem mundum calefacere per se non potest: Teneatur igitur hoc: *Solem calefacere Lumine per se: Motu per accidens. Lumine quidem per attritionem:* quia hæc extenuat, hoc est, tenuem & subtilem reddit aëra, dum fit radiorum cùm projectio tùm ascendentium & descendentium (propter reflexionem seu ἀνάκλασιν) inter se collisio. *Motu verò, quia hic devehit lumen ad inferiora.* Motu videlicet fit, ut diversimodè Sol habeat se ad subjectam terram, seu non eodem semper modo easdem terræ partes aspiciat atque afficiat, radiiq; ejus dissimiliter incidant: Ex quo diversum luminis effectum sequi necesse est. Cedam seu potiùs credam meliora docenti.

XXI.

An Quædam actio Physica fiat sine ullo contactu?

Negatur.

AIT Scaliger Exerc. 74. sect. 3. Alexandrum primo Meteorum dicere, Lunam acceptis à Sole radiis calefacere quidem, sed ipsam nihilo

nihilo magis calefieri. (*Hæc ἀπόδοσις comparationis est.* Sic stupefieri piscatoris manum per arundinem : Ipsam verò arundinem à torpedine non stupefieri. (*Hæc πρότασις comparationis est.*) Quia non est apta pati, & recipit tamen. (*Hæc ratio est ex generali illo axiomate : Agens non agit, nisi in patiente idoneo.*) Sic recipere Lunam, non pati tamen. (*Hæc accommodatio est ad propositum seu Lunam.*)

Ut Alexander & Scaliger meliùs intelligantur, comparationem proponemus directè. Sicut piscis, qui dicitur torpedo, stupefacit manum piscatoris, dum adhuc est inclusus retibus, nec tamen manum piscatoris tangit, nec agit in rete medium. Rete enim non est capax stuporis, nec stupefit. Sic Sol per orbem Lunæ medium calefacit inferiorem mundum, licet neque ipsum tangat, neque Sphæram Lunæ calefaciat. Sed comparationis propositio seu prior pars non est admittenda. Necesse enim est imprimi retibus affectionem aliquam, (quæ fortasse est vehemens refrigeratio) quæ postea piscatoris manum stupefaciat. Nam *non potest Physicum efficiens agere in extremum, quin prius agat in medium : cum omnis Physica actio fiat per contactum*, lib. 7. phys. auscult. Ad hoc axioma refellendum Carneade opus fuerit. Sed occurri nobis potest Titillatione, quæ nonnunquam fit sine tactu seu attrectatione. Non equidem nego, titillationem quibusdam accidere, antequam tangantur: Sed addo, accidere eam vi imaginationis, ex qua spiritus, quorum motus est celerrimus, feriunt partem illam corporis, quæ titillationem perpeti potest. Itaq; hîc quoq; movens & motum sunt simul, & hæc titillatio per aliquem, licet occultiorem & internum, fit contactum, sicut per externum contrà fit titillatio, quæ fit extremis digitis. Atque utraque est violenta. Intellige autem, Movens primum, hoc est, proximum efficiens simul esse cum illo quod movetur : initio cap. 2. 7. ἀκροάσεως, hoc est, inter proximum movens & rem motam nullum intervenire seu intercedere medium, sive res à se ipsa seu interno movente, sive ab externo moveatur.

Actio & passio naturalis fit per contactum: ut in peste venenum facit impressionem in cor.

Titillatio ex imaginatione.

TABULA.

- Contactus
  - Proprius
    - Naturalis, qui fit mutua actione & passione.
    - Mathematicus tantùm, qui fit sine mutua actione & passione.
  - Metaphoricus.

XXII.

De actionis & passionis reciprocatione: seu: de Mutua effectione & perpessione, quæ Barbar. reactio.

An omne agens in agendo vicissim patiatur: & : An patiens tantùm patiatur necessariò, quantum agens agit?

OMne agens in agendo *ἀντιπάσχειν*, verum est axioma, si his conditionibus circumscribatur.

I. *Si sit naturale agens Actione propriè dicta*, quæ est transiens, ac fit per Mutationem (ut alterationem) non per Emanationem, ut cum cibus alteratur à naturali calore, cibus vicissim immutat (ut debilitat) naturalem calorem. Contrarium enim agit in suum contrarium, & patitur à suo contrario, 1. de Ortu & Interitu: sic manus frigidæ admota sinui calido calefit, & sinus refrigeratur. Agens tale esse oportet ut sit patienti contrarium: quale non est æquivocum, cujusmodi est artifex cujusq; artificiosi operis.

II. *Si virtus agens patientis excedat resistentiam agentis.* Actio enim fit à valentiori, ait Scaliger.

III. *Si resistentia agentis nullo externo juvetur.* A qua enim calida magno igni applicata calefacit frigidæ gutulam immissam, nec tamen vicissim patitur propter vires adjuncti ignis.

IIII. Si agens sit ita vicinum patienti, ut hoc in illud agere possit.

Porrò non omne patiens tantum patitur, quantum agens agit. Nam idem movens eâdem vi vario motu movet diversa. Non enim idem grave æquè grave est mulo & muri. Sed redeo ad Regulam propositam: Eam pulcrè declarant & confirmant Optici. Visio fit ex actione formæ visibilis in visum, & ex passione visus ab hac forma. Vitello lib. 3. p. 6. Visio non fit sine dolore & passione oculi, lib. eod. p. 16. Visio est ex eorum numero quæ dolorem faciunt. Alhaz. lib. 1. pr. 26. cap. 5. Et lux fortior offendit visum. Dum visus appræhendit lucem fortem, simul ab hac læditur.

Confirmat eandem mistio. Hæc enim in natura esse non posset, nisi quæ miscentur inter se agerent & paterentur. Ad extremum. *In iis in quibus vera effectio & perpessio locum habet*, id est in iis quæ per primas qualitates

litates efficiunt & patiuntur, *simile per se à simile conservatur veriùs quàm patitur:* ut calor Elementaris conservatur à calore cœlesti: calor internus in fœtu qui adhuc est in utero ad generationem animalis conservatur à fœminæ calore fovente, & ita generatio absolvitur. *Itaq; simile à simili attrahitur.*

TABULA.

Actio in rebus naturalibus est
- *Immanens, (quæ redigitur ad actionem per emanationem:) Hæc est quasi artificis agentis in materiam, ut naturæ in seminibus. Hæc in iis inest non ut forma, sed ut artifex. (Non est verè artifex, quia internus est, non externus.) Hac actione media qualitas in mistione, ut temperatus calor, per se producit operationes secundas in qualitatibus passivis: Seu: hac actione calor & frigus producunt secundas qualitates & naturam misti.*
- *Transiens, quæ dicitur effectio propriè. Hæc actio est*
  - *Contrarii in contrarium. Hac qualitates primæ producunt primas operationes, cum frigidum à calido calefit. Hîc habet locum Mutua Effectio & Perpessio. Et hac Actione agit calidum ad generandum calidum.*
  - *Similis in simile: ut cum calor sublunarium conservatur à calore genito in iis per lumen & motum. Hac enim actione agit calidum in calidum ad ipsum conservandum.*

Si quæras quid sit Resistentia? Respondeo cum Flamino Nobilio, Resistere esse quandam impotentiam patiendi, id est, facultatem, per quam res non statim admittit ictum & impressionem efficientis contrarii.

XXIII.

An peccatum Originis sit substantia?

Negatur.

PHilosophia Platonica puriorem quendam hominis statum agnoscit: Agnoscit & illius primigeniæ puritatis corruptionem. Peccati

Labes Orig. Platon. est πάθος.

deniq; & labis inseminationem quandam per parentes in liberos agnoscit. Testatur enim in divinum Rationis miraculum ἀνάρμοστον πάθος ἐπικρατῆσαι, & hoc ipsum πάθος rationis vim terrena crassaq; ignorantiæ caligine hebetasse & obscurasse, nec tamen penitus exstinxisse. Reliquæ enim manserunt scintillæ & igniculi cognitionis Dei, & discriminis boni & mali. Hæc sana est de degenere & corrupta hominis natura Philosophia, & quidem illa sacrarum literarum sententiæ germana: qualis etiam est Hermetis Trismegisti, qui hominis labem & sordes affirmat esse πάθη, quæ creata opera sequantur, quemadmodum æs rubigo. Congruenter autem hæc dici veritati & sanctæ Scripturæ orthodoxi Theologi fusissimè demonstrarunt. Sed ante annos non ita multos hoc egit FLACIUS, & etiamnum agunt quidam, qui ab ejus sunt disciplina, magno conatu, ut contrariam doctrinam invehant: *Peccatum scilicet à primo ortu inhærens, non esse Naturæ adventitiam contagionem, sed ipsam hominis essentiam & naturam, quanquam corruptam, & ἐνδελέχειαν substantialem, qua ad peccandum rapiamur, quòd elisa, extrita & expulsa imagine Dei, quam causam formalem hominis integri fuisse contendunt, successerit peccatum, ut nova forma & nova imago à Diabolo impressa: Itaq; homo integer & lapsus specie & forma unus homo non sint.* Horum τερατολογίας etsi solidè confutatas existimo à nostratibus Theologis: tamen, quia architectus illius dogmatis sese armis Philosophicis communit, iisq; aliquos minùs instructos πανοπλίᾳ Philosophica circumvenit, secumque in errorum præcipitia abducit, nos clypeo Logico & gladio Physico accincti experiemur, an istius armaturæ acies tanta sit, ut veritatem concerpere aut concidere possit.

Neque verò hoc est μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, seu extra oleas suæ professionis vagari. Nam cum & Platonica familia, quod antè attigi, de natura & ἀταξίᾳ hominis disserat, ut quæ doceat, Philosophiæ usum in Dei potissimùm & nostri ipsorum cognitione verti, cumque Peccatum illud Substantiale ex tertio Aristotelis principio, videlicet privatione & corruptione Physica Illyricus exsculpat, ut obtinere possit, *Hominis voluntatem in regeneratione & conversione habere se ut truncum & caudicem, esse subjectum impreßionis imaginis Dei merè* παθητικὸν, *adeoq; hostiliter & pertinaciter repugnare gratiæ,* Φιλοσοφικὴν duntaxat ἀνασκευὴν ad destruendum sum adhibiturus. Accedit huc, quòd, templo Delphico inscripta

aurea

aurea ſententia, & omnium Philoſophorum literis tanquam divina celebrata, *γνῶθι σεαυτὸν* me ad cognitionem naturæ hominis, quo hæc commentatio & diſputatio ferè omnis referenda eſt, & ad refellendum de ea graviſſimum, & quidem longè fœcundiſſimum errorem cohortatur. Etenim ut in lerna Hydræ, ſicut eſt in fabulis, prodigioſa fœcunditas extitit: ſic cùm aliorum, tùm verò hujus erroris uberrima & multiplex eſt propagatio. Dum enim *δογματιστὴς* ingenio ſuo nimis indulgens, & hyperbolis abutens, quaſi fugacia Dædali ſimulachra perſequitur, ut eſt in Platonis Menone: vel eò abripitur, ut non vereatur ſcribere: (cohorreſco, me Chriſte, referens) *Carnem Servatoris eſſe alterius ſpeciei, quàm noſtram, & Diabolos tota ſpecie & toto genere differre à ſanctis angelis.* Sic uſuvenit hoc, quod à Philoſopho dictum eſt: Uno inconveniente dato infinita ſequuntur. Ac ſanè accidit iſti, quod iis, qui in luto utrunq; crus impactum habent. Nam quò enixius ſeſe alterutro expedire conantur, eò fortiùs ac profundiùs alterum defigunt. Cum igitur *παραδόξου* illius autor, *Peccatum illud;* quod Originis vocant, hoc eſt, à ſtirpe generis ac ſeminis nobis ingeneratum, ſcribit, *eſſe modò hominis naturam, ſeu eſſentialem formam & animam rationalem οὐσιωδῶς corruptam, modò ipſam voluntatis eſſentiam, modò ipſum cor inverſum & perverſum, & adulteratam rationem*, mirum dictu, quantam invehat confuſionem Subſtantiarum & Accidentium, Subjectorum & Adjunctorum, Cauſſarum & effectorum, formarum accidentalium & ſubſtantialium, abſtractorum & concretorum, propriè & modificatè dictorum, alterationis deniq; & interitus, quæ in accurata & *πρὸς ἀλήθειαν* apodicticam accommodata ratione docendi (nam popularium & panegyricarum orationum alia eſt ratio) probè diſcernenda ſunt. Peccatum originis eſſentia aut forma eſſentialis non eſt, qualitas & forma accidentaria eſt. Adjacens & tenaciſſimè inhærens naturæ malum eſt, ſubjectum ipſum non eſt. Naturæ depravatio eſt, ipſa natura depravata propriè non eſt. Non eſt corruptio naturæ ſeu ſubſtantiæ hominis ſubſtantialis, ſed alteratio, violatio, vitiatio. Nam primò quicquid uſpiam eſt, aut eſt *αὐθυπόστατον*, aut *ἑτερυπόστατον*, axioma eſt, in cujus aſſertionem conſpirarunt quaſi omnes verè philoſophi, non ſecus atque hanc ſententiam animo quaſi inſculptam tuetur omnium gentium non monſtroſarum conſenſio. Quodlibet eſt aut non eſt. Jam verò

Error deteſtandus, Carnem Chriſti non eſſe noſtra ὁμοούσιον.

Theſis ἀντιπαράλληλος, ejuſq; diſputatio.

ἁμαρτία, quæ Originis dicitur, non est αὐθυπόστατος & ὀυσιῶδές τι. Nam si peccatum nativum est in hoc rerum genere, corpúsne erit, an spiritus hominis, an facultas essentialis?

Corpus quî, quæso, sit, cùm peccatum in animo sit, corpus autem in animo non sit? Anima enim, cùm figuræ & dimensionum expers sit, non potest esse subjectum capax corporis, certis circumscriptionis terminis definiti. Corpus, cedo, quî sit, cum in ipso etiam corpore seu carne & membris inhæreat? Quod si sit spiritus, animus erit ipse, aut specie quiddam differens ab anima, genere autem conveniens. At ipsa animæ ὀυσία esse nequit, cùm ab anima existat corporis vita, informatio & perfectio: peccatum autem hoc corpus non informet, sed deformet, non perficiat hominem, sed inficiat, & interficiat tandem: itaque causa sit vitæ non efficiens, sed deficiens. Et si animi tanquam regia sedes est cor, quod multis Theologis placere video, vel cerebrum, quod medicorum multorum dogma est, quo modo peccatum, quod per omnia viscera diffusum est, & vel minutissimas pervasit particulas lepræ instar, quomodo, inquam, hæc animi vitiositas substantia esse queat? si verò in toto esse corpore anima dicatur, quomodo non peccatum edet actiones naturæ singularum corporis partium consentaneas? hoc est, cor movebit, in ventriculo coquet, in epate recoquet, in venis perficiet, in membra digeret, in corpus mutabit, sufficiet, uniet, instaurabit, redintegrabit. Nec peculiaris in animo spiritus esse potest, cùm spiritus naturali ratione non sit in spiritu. At nulla etiam forma est in alia forma. Ec quomodo denique sit δύναμις ὀυσιώδης, cum id, propter quod animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei, sit naturalis ἀδυναμία, quæ in habilitatis, ac δυνάμεως naturalis locum successit. Ac licet dicatur etiam δύναμις καὶ ἕξις peccandi ingenita, tamen accidentalis sit, necesse est, cùm & sine ea homo possit existere, & sit cum ἀδυναμίᾳ & ἀταξίᾳ conjuncta. Et (ut omnia leviter perstringam) si peccatum est summus animæ rationalis gradus, qui liberi arbitrii appellatione continetur, & ita est ὀυσιῶδές τι, cur non & in reliquis membris substantia dicitur, cum tota natura hominis sit quasi fermento peccati infecta? Ex his opinor Sole clarius effulgere, peccatum illud & malum in posteros Adami disseminatum, non esse in classe substantiarum, & rerum essentialium, sed Entium per aliud, ideoq; non minùs impropriè dici, peccatum

Plato. *Rom. 7. & 8.* *Cardan. & Melan.* *Scalig.* *Peccatum est Ens per aliud.*

peccatum esse naturam hominis, quàm si dicatur, Animam hominis esse crasin, vel numerum: Semen esse vim gignentem animal, vulnus esse partem corporis. Genus enim & species debent esse ejusdem categoriæ, non petita ἐξ ἑτέρας συστοιχίας, hoc est, è diversa classe & ordine. Unde & hoc liquet, non propriè dici Hominem lapsum peccatum, sed peccatorem, quod & vulgatus Canon docet, Accidentia non συνωνύμως, sed παρωνύμως, &, ut loquuntur, voce Concreti subjectis attribui: Et Genus speciei attribui συνωνύμως, non παρωνύμως: ut, Nigror est color, non verò coloratus. Nec quicquam juvat istos, adversus quos disputamus, quod excipiunt, se non simpliciter dicere, *peccatum esse naturam hominis, sed corruptam.* Nam hoc dicto, quod ajunt, gratia fit, & populariter, ac ἄκυρον est, imò crassius dicitur. Vulnus propriè non est dilacerata corporis pars, sed laceratio partis. Ruptura vel rima in speculo aut olla non est discontinuata vitiataq; pars in speculo, aut olla, sed solutio continui, & vitium in speculo, aut olla. Sic peccatum quoque ingenitum altissimeq; cordi impressum insculptúmve non est essentia hominis corrupta, sed naturæ corruptio, & depravatio in subjecto, quod reliquum est. Ecquis eruditorum est, qui hæc tanquam propriè & apodicticè dicta ferat? Ferrum, quod ignitum est, esse ipsum ignem: Corpus hominis, quod animatum est, esse ipsum animum: Tempus, quod est numerus, seu mensura motus, esse ipsum motum numeratum: Vinum, quod veneno corruptum, hoc est, depravatum est, esse ipsum venenum? Ecquomodo ergo illum propriè loqui putabimus, qui hominem, peccato corruptum, hoc est, infectum, purum putum peccatum esse dicit? Nemo certè doctus eleganter, & æquo animo ferre possit tantam inscitiam Medici, qui, cum febris hectica totum corporis habitum pervasit, ipsum corpus propterea febrim esse dicere ausit? quo modo ἑκτικὸν cum adjuncto confunderetur: aut vesicæ calculum esse morbum ipsum? quo modo id, quod obstruit, cum obstructione ipsa commisceretur, & morbus fieret substantiā, qui eruditis medicis qualitas est, & abolito morbo ipse statim calculus aboleretur, quod non fit: aut denique calorem naturalem esse febrim ipsam? quod & ipsum secus habet. Destructa enim febri non aboletur calor ipse naturalis, sed reficitur. Quare hic calor nec febris genus, nec pars essentiæ ejus esse potest, sed tantùm subjectum est, cui febris accidit. Deinde

Peccatum innatum non ineptè comparatur febri hecticæ.

verum

verum non eſt, quod Illyricus in definitione peccati στέρησιν de privatione non accidentali, ſed ſubſtantiali, & corruptionem, hoc eſt, violationem naturæ hominis, de Phyſica tranſmutatione, & corruptione interpretatur. Privatio Ariſtotelis ſubſtantialis eſt defectus formæ in materia, & hujus inclinatio ad novam formam, quæ in momento introducitur. Accidentalis verò eſt vacuitas, & abſentia accidentis in ſubjecto. Corruptio Phyſica generationi oppoſita, hoc eſt ſubſtantialis, eſt tranſmutatio totius compoſiti ſubſtantialis, in aliud novum compoſitum ſubſtantiale, nullo ſenſibili remanente. Sed corruptio accidentalis eſt variatio, facta in ſubjecto, qua deſtruitur accidens. Jam *tota,* inquit Flacius, *natura hominis inverſa, & horribiliter transformata eſt in aliam, vel contrariam naturam: optima eſſentia rationis in contrariam ſpeciem, ſeu eſſentiam: juſtitia originalis eſſentialiter converſa eſt in injuſtitiam, &c. Sicut angeli boni mutati ſunt in aliam ſpeciem, ita ut Diabolus à ſancto angelo tota ſpecie differat: vel perinde, ut aurum in plumbum, argentum in ſcoriam, & vinum in acetum, vel vappam mutatur. Corruptio, inquit, unius, eſt generatio alterius, ita, ut ſicut id, quod corrumpitur, fuit ſubſtantia, ita id, quod per eam corruptionem generatur ſit nova, & alia ſubſtantia. Sed peccatum originale eſt corruptio naturæ ſeu ſubſtantiæ hominis. Ergò per illam corruptionem genita & effecta eſt alia, & nova hominis ſubſtantia.*

Hæc ergo qualia ſint videamus. Cum ex non corpore fit corpus, ex non cane canis, privatio illa, quæ motus eſt cauſa ſine qua non, ſubſtantialis eſt: Accidentalis verò, cùm ex immuſico muſicum, ex impolito politum fieri dicimus. Cùm ex homine fit non homo, ut elementum aliquod vel ſerpens, hæc φθορὰ ſeu corruptio ὑπώδης eſt. Cum verò ex nigro albus, ex juſto injuſtus, hæc corruptio accidentalis eſt. Id quod fateri coguntur, vel quibus eſt ſemiuncia veri, ut ait Poëta. Si igitur peccatum ἀρχήγονον eſt privatio, vel corruptio ſubſtantialis, quæro, cur habere illud definiatur: Ex juſto non juſtum factum eſſe, & non potius ex homine non hominem factum eſſe? Et ſi omninò ita ſubſtantia noſtra optima evaſit peſſima, ut ſi aurum puriſſimum in plumbum, vitis in labruſcam, olea in oleaſtrum converſa ſint (hi enim, ut antè attigi, ſunt Illyrici, & ſuorum floſculi, hæc pigmenta, imò verius objectæ nebulæ, quibus à vero judicio ſimpliciores abducuntur) ſi, inquam, ejuſmodi eſſentialis tranſmutatio hominis à peccato extitit, quì homines

mines amplius vocabimur, cùm ſublata priſtina forma, & ſuccedente nova, tollatur rei nomen & definitio? ut cùm ex & in caſeo pereunte hujus forma, naſcitur vermis, non dicitur amplius caſeus, ſed vermis. Δίκαιον γὰρ ἀπὸ τοῦ εἴδους τὰ ὄντα προσαγορεύειν, id eſt, æquum eſt à formis rebus nomina imponi. Præterea ſi fit in renatis mutatio ſubſtantialis injuſtitiæ in verè perfectéque contrariam ſubſtantialem juſtitiam, hoc profectò etiam dogmatiſtes cum ſuis fateri ex natura contrariorum cogetur: Sicut peccatum fuit perfecta imago Diaboli in impiis, ita juſtitiam eorum, poſtquam renati ſunt, eſſe perfectam imaginem Dei, & ex conſequenti nullas hærere peccati reliquias in ſanctis, & converſis, niſi fortè in inferioribus duntaxat viribus, juſtitiamque non conſiſtere in imputatione alienæ juſtitiæ, ſed in formali juſtitia, & inhærente, qui omnes ſunt falſiſſimi, & ab Eccleſia rejecti errores. Ac ut arctiùs eos Ariſtotelea Philoſophia, ex qua arma contra veritatem ſumſerunt, premamus, & deductione ad incommodum urgeamus. Si natura ſeu ſubſtantia transformata eſt in contrariam, peccatum, peccatum ſanè ut generabile ſe habebit. Subſtantiæ enim ſeu naturæ eſt generatio. Si ut generabile, quomodo non erit corruptibile? Si corruptibile, quomodo non aliud generabit? Generabit ergò aut aliud peccatum, idq; homine jam ad corruptionem tendente, quod eſt ἀδύνατον, quia mors eſt tanquam via, & cauſſa ſine qua non reſtituendæ integritatis: Aut juſtitiam procreabit, quod ſi abſurdum non eſt, quid tum, cùm cauſſa non ſit toto genere deterior ſuo effecto, & ſimile procreet ſimile? Ecquis ſatis ſobrius credat, *ipſam animam rationalem fuiſſe juſtitiam originalem, eandemq́; eſſentialiter permutatam eſſe in injuſtitiam, ac in renatis viciſſim permutari & transformari in juſtitiam.* Non enim propriè injuſtitia unquam mutatur in juſtitiam, ut nunquam nigror tranſit in alborem, ſed injuſtum poteſt fieri juſtum, ut ex nigro album. Quia homo tanquam ſubjectum utriuſq; contrarii viciſſim capax eſt. Rectè dicimus, Frigidum eſſe factum calidum, non autem frigus factum eſſe calorem, aut privationem frigoris eſſe ipſam οὐσίαν caloris. Ita probè etiam dicimus, juſtam & puram naturam factam eſſe injuſtam, & impuram, non verò puritatem eſſe factam impuritatem. Quid? quòd, ſi ſtabit ille πλασματίας λόγος, conficietur ex eo, Animam & ὑποκείμενον ſeu ſubjectum eſſe, & ἐπισυμβεβηκὸς, ſeu accidens ſimul, ipſamq́; in ſeſe recipere contraria, & ſimul

Quaſi circularis mutatio.

esse ipsa contraria, quo quid monstrosius fingi possit, non video. Quod enim fuit, qui diceret, cum nulla absurditate conjunctum esse, statuere peccatum ἔμφυτον esse & accidens & substantiam, quandoquidem & accidentia & substantia hominis simul sunt depravata, hoc ergò tam puerile est, ut refutationis me suppudeat. Qualis enim hæc est consecutio: In lepra & homini adjunctus color & ipsa substantia inficitur. Ergò lepra est accidens & substantia simul? Hæc omnia tam manifesta sunt, ut negari non possint, nisi ab eo, quem Orestes ipse insanus juret non sanum esse hominem. Itaque ne de rationis statu videantur omninò deturbati, aliquid largiuntur, *Substantiam scilicet hominis manere in partibus ignobilioribus duntaxat, in præstantissima verò parte interiisse, seu optimam formam animæ in pessimam essentialiter esse transformatam, partem autem optimam volunt esse liberum arbitrium, idemq; volunt postea etiam esse pessimam partem, seu formam.* Id verò ἀδύνατον est, substantiæ uni & individuæ, qualis homo est, detrahi partem optimam, & substantiam tamen permanere: quæ tanquam in puncto ἀτόμῳ posita est, vel sese habet ut figura vel numerus aliquis definitus, cui nihil addi potest, aut adimi tam exiguum, quin tota ejus essentia perierit. Abolito ergò libero illo arbitrio, fieri nullo modo potest, ut adhuc superstes sit eadem hominis substantia. At non dicimus, inquiunt, *Cor vel liberum arbitrium* (mirè enim variant suis nomenclaturis) *simpliciter exolescere, aut aboleri, sed essentialiter transmutari: sicut propter lapsum Adæ totus mundus non est abolitus, sed essentialiter mutatus.* Sed contrà nemo unquam essentialem transmutationem pro alia re intellexit, nec intelligere poterit, quàm pro tali corruptione, qua tendit res ad non esse, & ad quam sequitur novæ rei procreatio. Non esse autem regenerationem hominis intelligendam de Physica παλιγγενεσία, Christus luculenter ostendit, cùm de tali imaginatione Nicodemum castiget. Cumq; cœli & cœlestium corporum neq; materia, neq; forma, neq; naturalis qualitas corrupta sit, substantialiter totum mundum esse mutatum, nemo concesserit, nisi qui cum ratione insaniat. Sed adhibent ad id, quod volunt, comparationem à ruina domus pulcherrimæ & formæ ejus interitu. *Reliqua*, inquiunt, *sunt de homine primævo, seu pristino, velut destructa domo ruinosa quædam rudera.* O ruinosæ & perditæ potius causæ, miseram substructionem & ruinosum fulcrum. Domus enim, quatenus domus, non denotas

Arist. in Metaph. & Scali. ex. 249. sect. 3.

notat ſubſtantiam, nec à natura ita dicitur, ſed à forma artificioſa, ac cum vitio quodam deſtruitur domus ita, ut materies aliqua reliqua ſit, fit συςήματος compoſiti artificioſa diſſolutio. At homini labes peccati, non concreata quidem, ſed concreta adjacet, ſalva, per omnem vitam, corporis & animæ conjunctione, ſalvis facultatibus eſſentialibus, ut δυνάμεις illa κριτικῆ, ſub quam cadit τὸ γνωςὸν τοῦ θεοῦ, de quo Paulus c. 1. ad Rom. Definitionem etiam accidentis Porphyrianam in patrocinium ſuæ cauſæ advocant. *Accidens eſt, quicquid adeſt, vel abeſt, præter ſubjecti corruptionem. Jam ſi peccatum, inde uſq; à primo ortu contractum, non poteſt abeſſe, citra ſubjecti interitum, eò quòd homo vetus mortificatur in ſeparatione peccati, ſtatuendum putant, peccatum illud non eſſe qualitatem accidentariam.* Ἄτοπα ταῦτα, καὶ οὐκ αὐτοῖς ζύμφωνα. Hæc tùm abſurdè dicuntur, tùm ſecum ipſa vehementer pugnant. Primùm, peccatum originis ſeparari poſſe concedunt à ſubjecto, & tamen aſſerunt eſſe optimam ſubjecti ſubſtantiam, cùm fieri omninò non poſſit, ut aliquid ſit in ſubjecto, & ſimul ſubjectum ipſum. Deinde mortificatio hominis veteris nequaquam eſt ſubjecti interitus (ut nec ſubjecti corruptio erat, quando originalem juſtitiam homo amiſit. Quod ſi dicant peccatum iſtud non ſeparari naturaliter, ſed vi divinæ omnipotentiæ, quæ nos exutos mortali corpore tandẽ reſuſcitatura ſit juſtos & expertes omnis labis, id libenter dabimus: Sed nihilominus interim peccatum ſeparabile eſt aliquid ratione, & ſubſtantia hominis erit eadem, in vita illa beata & ſanctiſſima, quæ fuit in hac ærumnoſa, & ſordidata. Debebant igitur iſti diſtinguere in accidentis illa deſcriptione, inter corruptionem Phyſicam, & Logicam, inter actum, & potentiam. Peccatum originis etſi totum ante mortem naturæ exui, ſeu citra compoſiti diſſolutionem abeſſe ab eo non poſſit, in præſente hominis ſtatu: abeſt tamen ab eo præter ſubjecti corruptionem logicam: mens enim noſtra logica ἀφαιρέσει abſtrahit peccatum ab anima, ut nigredinem à corvo, & albedinem à cygno. Etſi enim reipſa nigror corvo detrahi nequeat: poteſt tamen mutato colore corvus albus intelligi, ſine interitu corvi, in quo eſt: quia nigror non ineſt καθ᾽ αὑτὸ corvo, nec pertinet ad ejus eſſentiam.

Non αἰσθήσει tantùm, ſed & λόγος ſeparationes facit.

Et quidem hæc, quæ de ſeparatione mentis dico, adeò vera ſunt, ut etiam id quod καθ᾽ αὑτὸ eſt, & proprium rei, ſeparetur quodam modo ἐπινοίᾳ & vi intellectus à ſubjecto. Cùm enim in accuratiſſima defini-

tione non adhibeantur propria, definiens separat proprium à subjecto: ut hominem definiens abstrahit eum à facultate ridendi, hoc est, quatenus eum definit è materia & forma, considerat eum, non habita ratione aptitudinis ad ridendum: quantò magis accidens commune, quod non est καθ' αὑτό, secernetur à subjecto, ut intellectus in eo ponere possit accidens contrarium: verbi gratia, in cygno atrorem. Eadem ratione homini vi animi fictrice attribuere possum pro peccato justitiam, & contrà, salvis nihilominus hominis partibus essentialibus & integrantibus omnibus. Neque verò peccatum separatum & divulsum à natura statuimus, perinde acsi in ea non inhæreret fixissimis radicibus, aut esset abstractum, & idea aliqua, extra substantiam, seu naturam humanam: sed mentis illa abstractione distinguimus subjectam naturam, ab adjacente naturæ vitio, ne opus Dei cum non opere Dei confundamus: ac ut longè aliud est, distinguere duas naturas in Christo, quàm divellere, discerpere, & separare eas reipsa à se invicem: Sic & longè aliud est, inter naturam, & concretam naturæ labem discernere: & hanc ab illa reipsa penitus secernere, ac auferre: quemadmodum excrementa in corpore animalis ab utili humore segregantur.

Malum non est nisi in bono.

Postremò ne hoc quidem negari potest, in hac etiam vita peccatum aliqua ex parte esse χωριστόν, & separari à corde, per regenerationem: quò fit, ut David petat à Deo creationem novi cordis, hoc est, renovationem, ipsa Scriptura interprete, itaq; esse in alio mutabiliter. Quid? quòd dici potest Accidentis definitionem istam non esse perpetuò seu de omni accidenti veram. Defectus enim & naturæ adversas qualitates maximè corrumpere substantiam certissimum est. An non morbi qui accidentia sunt sæpè hominem conficiunt & de medio tollunt? An non vulnus accidens sæpè fœdissimè corrumpit corpus? An non cœcitas privatio deformat animal. Etsi enim à privativa causa non possit prodire effectus positivus sine ulla causa positiva ut Zabarella cum hominibus de Schola non de foro loquitur: potest tamen à privatione existere effectus privativus.

Ajunt porrò, peccatum ἔμφυτον esse maximè ἐνεργητικὸν, & in perpetuo motu. Actiones autem tribui substantiis. Quid audio? Ergo dolor nihil agit, ergo morbus nihil agit, calor & frigus nihil agunt. Actiones & perpessiones sunt substantiarum: quis neget? Sed ánnon illæ ipsæ

ipsæ substantiæ per qualitates velut per instrumenta sunt efficaces? Omninò. Accidentia dant formæ, ut sic agat, ait Scaliger. Ideò autem tribuuntur ἐνέργειαι substantiis, quia nullum accidens agit nisi per vim suæ substantiæ, ut iterum cum Scaligero loquar. Sed ad ravim etiam inculcant, Deum non irasci mero accidenti, quod propinquum est non enti (Arist. 6. Philos.) Accidens non posse sustinere reatum, & Scripturam in describendo peccato uti substantialibus verbis. Atque hinc inferunt, peccatum esse hominis naturam ipsam. Hic verè respondemus: Fieri non posse, ut accidens subsistat sine subjecto, seu, ut Philosophus inquit, Accidentis essentiam esse ἐνυπάρχειν: id est, inhærere. Accusat ergo Deus & ream peragit ipsam Substantiam, & non solùm accidens malum, quod hoc absque subjecto substantiali esse nequeat. Quomodo medicus curat corpus ipsum, non autem morbum solùm qui in corpore, utpote subjecto, inhæret. Meritò igitur nativa vitiositas cum ipso subjecto seu toto homine accusatur & damnatur, ut meritò magistratus punit & furtum, & furem, nec tamen furtum, sed furem laqueo suspendit. Ἀσυλλογισία igitur committitur, & ita purum putum sophisma deprehenditur. *Substantialibus verbis nominatur, & arguitur peccatum.* Ergo est substantia. Imò verò subjectum peccati necessariò simul est comprehendendum, cum sine eo contrariorum mutatio nunquam fieri possit, alterius in alterum, ut docent omnes Physicorum familiæ.

Exer. 250.

Exer. 6. sect. 5.

Οὐδενότης accidentis sine subjecto.

Scal. 10. exer.

Malum in bono ἐνυπάρχει.

Præterea quòd Scriptura vocabulis, quæ κυρίως substantiæ notationes sunt, de peccato utitur, nihil mirum est, cùm nomina substantiarum & subjectorum sæpè pro adjunctis, hoc est, pro qualitatibus in subjectis inhærentibus, & pro actionibus qualitatum ponantur, per auxesin seu emphaticam metonymiam, quo modo etiam peccatum ipsum pro re extremè vitiosa, & maledictioni subjecta, & caro pro carnali affectione accipitur.

Sic porrò ratiocinantur: Homo est peccator. Peccatoris forma est peccatum. Ergo homo est peccatum: Et ex consequenti peccatum est forma hominis. Sed (malum) in qua Schola ita argumentari didicerunt. Stultitiæné an Sapientiæ. Homines isti sunt stulti. Stulti forma est stultitia. Ergo homines isti sunt mera stultitia? Respondeto pro me Echo. Quid fit ex malè consutis? Utis, hoc est, nullus Syllogismus.

At verò, inquiunt, bene infertur istud ex regula quæ traditur in doctrina Arist. quæ categorias antecedit. Cum alterum de altero tanquam de subjecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de subjecto quoq; dicetur. Minimè verò. Regula hæc manet vera, sed exemplum non congruit ad eam: ut Solis motus legitimus est in cœlo perpetuò, ubi tanquam horologium est minimè fallax, etsi stolidus æditAuus templi horologium non rectè dirigat ad cursum Solis. Sed cur exemplum non quadrat ad canonem? Quod laboret vitio malæ subsumtionis seu Elenchi ἐκθέσεως ὅρων, id est, expositionis terminorum: itaq; deprehendas hîc tanquam scopas dissolutas. Quis enim est tam plumbeus in Logicis, qui non intelligat esse quatuor terminos, Homo, Peccator, Peccatoris forma, Peccatum? Plurimùm autem anhelant & sudant, ut se expediant, ne videantur confiteri Diabolum conditorem esse & principium substantiarum malarum: sed frustra. Positis enim principiis istis, quibus utuntur, scopulus Manichæi dogmatis evitari non potest. Ac hîc maximè evenit eis, quod illis, qui in cœno hærent, qui dum pedem alterum, quo sese expediant, tollere nituntur, altiùs figunt alterum. Affirmant eandem substantiam posse habere duos diversissimos auctores, alterum verum conditorem Deum, alterum destructorem Diabolum, & tamen rem esse numero unam. Hujus autem rei tale proponunt exemplum: Arbor bona, cùm mutatur in malam, non duæ sunt arbores, sed una: causa autem alia est bonæ, alia malæ arboris. Sic illi quidem: sed quid hoc eos juverit? Num malitia, qua arbor mala est, est arbos ipsa, sicut peccatum dicunt esse ipsam animam malam. Arbor mala non simpliciter significat arborem, sed arborem cum qualitate inhærente, quæ mutabilis est. Et dum ex bona arbore fit mala, eàdem arbor est subjectum utriusq; qualitatis, & mutatio aut destructio ista non efficit novam substantiam arboris, sed variationem seu alterationem. Nec habet duos auctores arbor, unum à quo procreetur bona, alterũ à quo procreetur mala. Si per destructionem intelligerent causam alterationis cujusdam, concedi posset. Non enim causa alterans est causa generans aut creans, ut interpolator est renovator vestis, nó procreator. Causa calefaciens aquam, ut ignis, non est auctor ipsius substantiæ aqueæ, cùm in alteratione subjectum maneat idem, eique tantùm qualitas nova indatur. Quomodo ergo destructor talis alterans,

terans, dicetur auctor ſubſtantiæ ipſius? Sed deſtructorem pro conditore intelligunt, cùm dicant hominem non renatum eſſe opus Diaboli, & imaginem Satanæ, nec velint in homine factam deſtructionem eſſe accidens quoddam: cum denique huc transferant illud Ariſtotelis: Interitus unius, eſt alterius ortus. Tandem, quî, inquiunt, Dæmon non poſſit eſſe effectrix cauſa ſubſtantiæ, cum ſint innumeræ res, quæ ſubſtantias ex aliis ſubſtantiis faciunt? Cocus enim in olla carnem coquens ex aqua facit aërem. Et ruſtica interventu motus ex lacte poteſt conficere butyrum, & vinitor ex aqua & uvæ flocibus facit loram. Quid nî ergo Diabolus πολυτεχνώτατος invertere poſſit hominis ſubſtantiam, & diverſam à priori producere? Sed propterea quod iſti oculis utuntur (ut eſt apud Plautum) oculis item noſtris dent aliquid, æquum eſt. Cernimus enim ab iſtis committi fallaciam à non cauſa tanquam cauſa. Quòd ex aqua fit aër ſeu vapor, dum coquitur ad ignem, non certè id hominis opus eſt, ſed naturæ: ignis ſiquidem eſt, qui partes aquæ omnes penetrat, ſegregat, attenuat, rarefacit, & in vaporem digerit, cùm homo tantùm applicet, & conjungat iſta agentia naturalia, ſitque ejus actionis adminiſter. Sic natura eſt, quæ facit loram, opera hominis tantùm miniſtrante, & miſcente aquam & ſuccum purgamentorum uvæ, ut hæc duo fiant unum: Sic medicus curans ἀτροφίαν non facit carnem in corpore humano, ſed natura reliqua, quæ inſtauratur, &, per ipſa medicamenta, quæ res naturales ſunt, ipſum nutrimentum. Sic quando mammoſa Niſa ex lacte conficit caſeos, dato, quòd caſeus ſit nova ſubſtantia, cùm revera ſit opus alterationis, non generationis, ut corpora imperfectè concreta, ſeu meteora pleraq;, ſed poſito illo, opus tamen iſtud non eſt mammoſæ Niſæ, aut lacertoſæ Phyllidos, ſed naturæ. In lacte ſiquidem eſt natura & internum principium, ut ex eo poſſit fieri caſeus. Homo tantùm addit inſtrumenta, ut baculum, quibus perficiatur ſegregatio partium pinguium & tenuium, quibusq; fiat coagulatio, exſiccatio, induratio. Sic homo non eſt κύϱιον αἴτιον hujus compoſiti, quod Sal dicitur, ſed natura ope artificii ex aqua ſalſa educit ſalem, qui δυνάμει ineſt in aqua illa. Sic quod de χρυσοποιΐα & ἀργυροποιΐα dicunt chymici & æruſcatores, per lapidem illum admirabilem, quem vocant Philoſophicum, rectè & accuratè præparatũ, omnia metalla converti poſſe in aurum, & inferiora, id eſt,

Metallorum artificioſa miſtio eſſe poteſt, non generatio.

id eſt, præter aurum cætera metalla tranſmutari poſſe in argentum. Ad id verè reſpondetur, in lapide illo rubro, quo aurum, & candido, quo argentum fieri dicitur, non eſſe vim verè convertendi metalla, cum non habeat vim tingendi alia ratione, quàm ſi fiat crama, & aurum factitium nihil aliud ſit quàm maſſa mixta, ſeu crama metallicum (idem de argento factitio judicium eſto) ut verè judicat Claudius Triuncurianus. Fatemur, inquit, lapidum iſtorum accuratiſſimè præparatorum partes adeò miſceri cum minutiſſimis quibuſq; partibus ejus metalli fuſi, in quod injiciuntur, ut fiat quaſi crama quoddam metallicum. Etenim ſi metallum nihil aliud eſt quàm aqua terrea, multo frigore congelata, quæ propterea non niſi multo calore reſtitui poteſt in priſtinum fluorem: non eſt mirum, aurum & argentum poſſe fieri unum per craſin, præſertim cùm pulvis auri accuratiſſimè præparatus in argentum fuſum projicitur. Ergo fit UNUM per CRASIN, non autem unum per generationem. Proinde forma auri remanet in materia & partibus auri, ut & forma argenti remanet in materia argenti, non ſecus atque in cramate, ut in vino aqua diluto, ſeu mixto cum aqua, remanet utriuſq; nempe vini & aquæ forma. Ut igitur homini & arti, qui eſt habitus in homine, ſic & Diabolo ἀδύνατος eſt Metamorphoſis ſeu transformatio unius ſpeciei in aliam, quæ idem quiddam eſſet cum creatione. Cujus enim potentiæ eſt creare, ejuſdem etiam eſt deſtruere, & convertere in aliam eſſentiam. Dei autem autem ſolius eſt creare. Dei ergo ſolius eſt rerum Metamorphoſis, qualis eſt aquæ in vinum, & uxoris Lothi in ſtatuam ſalis. Quod ſi metamorphoſi Satanica homo eſſentialiter ſecundum formam tranſmutaretur, ne quidem externa ſpecies & materia hominis maneret. Nam materia & formæ internæ & ſpeciei externæ ſubjectum eſt. Jam ergo cum ſua Adamo conſtiterit externa facies & materia, etiam tum, cum jam in peccatum prolapſus eſſet, forma etiam incolumis permanſerit, neceſſe eſt. Inter Adamum itaq; in ſtatu integritatis & ſtatu corruptionis non eſſentiale ſed accidentale diſcrimen eſt, ſeu homo renatus nec numero, nec ſpecie, nec genere à ſe ipſo non renato differt, quod ad ſubſtantiam attinet, hoc eſt, non eſt nova ſpecies, ſed idem ipſe ſubjectum eſt tum juſtitiæ tum injuſtitiæ viciſſim. At ex illorum delirio *Diabolus eſſentialiter transformavit animam rationalem hominis*: quod quid, quæſo, aliud eſt quàm ex

In diſp. exoterica de concordia Medicorum.

Homo integer & depravatus, renatus & non renatus, differunt λόγῳ, non τῷ ἐστι, ſeu ὑποκειμένῳ.

ſpecie prima effeciſſe aliam novam, &, quod hinc omninò conſequitur, eſſe molitorem ſeu fabricatorem & principium ſubſtantiæ vitioſæ? Quod verò excuſant ſe, cùm *dicunt hominem integrum & corruptum tota ſpecie differre, non ſe velle id in phyſiologicis verum eſſe, ſed id tantùm locum habere in Theologia*: pulcella profectò & bella excuſatio eſt, & egregium ad ſanandam cauſam elegantiſſimæ diſtinctionis pharmacon. Videor mihi hìc audire quendam, qui ſic diceret: *Hæc definitio, Homo eſt animal rationale, in Philoſophia vera eſt, in Theologia falſa, ubi de ψυχικῷ, hoc eſt, bruto homine*, ut interpretantur iſti, *agitur*. Sed ô brutum pecus. Taléſne inveniri homines, qui hominem ex homine tollunt, & quod ſemper & ubique verum & ἀμεταπτώτως ἀμετάπτωτον eſt, ac re unum, hìc verum, illic falſum, modò hoc, modò aliud eſſe arbitrantur? Quaſi verò Theologia proponat nobis alias ſubſtantiarum & rerum creatarum ſpecies quàm philoſophia, & non magis nos erudiat de corruptione & reparatione earundem ſubſtantiarum, quæ à Deo productæ ſunt, & nullo alio. Qui ergo homo eſt in Phyſica, idem certè etiam homo erit in Theologia, & eum hominem, quem Chriſtus redemit, non alium quàm Phyſicum fuiſſe credimus. Aliud autem eſt, cùm dicimus, duplicem eſſe unius hominis reſpectum, unum Phyſicum, alterum Theologicum, & Philoſophiam aliter judicare & definire hominem juſtum, quàm Theologiam: ſed hoc ab οὐσίᾳ hominis plurimum diſtat. Hominis itaque definitio philoſophica, qua dicitur eſſe animal rationis particeps, non evadit falſa in Theologia, etſi ſtatuatur ratio in divinis eſſe vel depravatiſſima. Quo fit, ut etiam divus Athanaſius hominem Chriſtum, quà homo, animal eſſe rationis compos, contra hæreticos aſſerat, & à vero multum diſſideat, ſi dicatur, *Caro Chriſti eſſe alius ſpeciei, quàm noſtra eſt*: cùm re ipſa, aſſerente D. Cyrillo cum ſcriptura, Corpus quamvis λόγου proprium noſtris tamen ſit cognatum & conſubſtantiale, ſecundùm quod caro intelligitur. Videmur hactenus pro noſtra virili arma adverſaria retudiſſe, & vitioſam Peccati fabricam labefactaſſe. Sed tamen antequam diſſerendi finem faciamus, ἐκ περιουσίας adjiciemus quædam ἀξιώματα ad veram ἐπιφορὰν comparata. Primò principium indubitatæ veritatis eſt Tranſcendentibus & formæ unitate. ENS & unum convertuntur: neque enim ſpecierum confuſio eſt. Et uni ſubjecto duæ

formæ eſſentiales tribui nequeunt. Et ſub pluribus formis ſunt plura Entia. Scalig. exer. 16. ſect. 3. Hoc tanquam ariete proſternitur hoc ex opinionum Manichæarum portentis unum, quòd *duæ ſint in homine præſertim renato diſtinctæ formæ, altera bona à Deo, altera mala à Diabolo.* Et iſtud Illyrici: *In homine renato peccatum originis eſſe ſubſtantialem imaginem.* Deinde certum eſt: In accurata doctrina & conſtituendis dogmatis non fas eſſe Subjectum adhibere loco generis, id quod & in Topica Ariſtotelis doctrina cavetur. Ut igitur in reprehenſionem incurrit definitio: Febris eſt calor naturalis mutatus in igneum calorem: Sic vitio non vacat hæc: Peccatum originis eſt natura hominis corrupta, &c. Addo tertium, quod hactenus nemo quidem (quod ego ſciam) in dubium vocavit: Quicquid ſeparari poteſt ab uno ſubjecto, id non poteſt eſſe eſſentia alterius ſubjecti: ſeu quicquid eſt accidens in una re, id non poteſt eſſe pars ſubſtantiæ alterius: ut quia nigror eſt accidens in homine, non eſt eſſentialis corvo, ſed ineſt ei κατὰ συμβεβηκός. Quia igitur peccatum nunc congenitũ ante lapſum hominis à corde abfuit, & poſt hanc vitam ſeparabitur, ut accidens: non poteſt in hoc præſente hominis ſtatu ipſa anima, ipſa ſubſtantia intellectus & voluntatis, ipſum denique cor eſſe. Ad extremum, Bonum eſt æquale ENTI, hoc eſt, Bonum & eſſentia convertuntur, canon eſt Platonicorum & BONAVENTURÆ, quo nihil verius, nihil in Scholis magis decantatum. Et Omnis Natura, in quantum natura, bonum eſt, quia opus Dei eſt. At peccatum nunquam fuit, nunquam eſt, nunquam erit bonum: ſemper fuit, ſemper eſt, ſemper denique erit malum, neceſſitate definitionis & Demonſtrationis immutabili, cum illud ſit ordinis & operis divini pollutio ac perverſio, & labes deformiſſima, bonique privatio & corruptio. Rurſus: Ut Ægritudo non eſt niſi in ſano (ut ait Piccolhomineus) ſic peccatum non eſt niſi in Bono. Hinc ergo conficitur. Peccatum ipſam hominis eſſentiam eſſe, verè dici non poſſe, ſed malum in hominis eſſentia ut Bono. Atque hæc quidem adhuc ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, pro præſenti copia, remotis omnibus fucis & coloribus, ne lectorem aurium voluptate delinire potiùs quàm veritate imbuere videremur. Ea autem adeò firma ſunt, ut nullis contrariorum argumentorum, quæ ſpeciem gravitatis habent, machinis dimoveri, nedum levium ratiuncularum flabellis agitari verſarique poſſe exiſtimem. Concludimus itaque

Averro. & Thom.

Prop. reduplicativa Auguſtini.

itaque cum D. Augustino: Natura humana, etsi mala est, quia vitiata est: non tamen malum est, quia natura est, sine quo bono nullum potest esse vitium:

Et quanquam veteris labes innata veneni
Tám procul insedit carni, tám fixa profundis
Naturæ in gremio radicibus hæret: ut instar
Morbida fermenti vires penetraverit omnes
Corporis atq; animæ, mediis diffusa medullis:
Non tamen arbitrium est, non est substantia cordis.

Nec est in omnibus prædicamentis seu Transcendens, ut F. scripsit: Sed est in genere eorum, quæ accidunt homini præter essentiam, ut morbus, qui est affectus παρὰ φύσιν: Ac, ut explicatiùs dicam, est 1. στέρησις, hoc est, privatio conformitatis cum æterna & immota norma justitiæ divinæ in lege expressæ, ignoratio Dei, dubitationes de Deo, diffidentia, aversio voluntatis à Deo. 2. ἀδυναμία, ad efficienda ea præstandaque, quæ descripta in lege Dei rigidissimè à toto humano genere exiguntur. 3. δύναμις seu inclinatio propensioq;, imò ὁρμὴ, id est, incitatio & impulsus ad vagos & errantes motus lege Dei prohibitos. Est itaque hominis naturæ vitiatio, seu corruptio talis, qua natura evadit mala, non Malum ipsum, quod potissimùm & πρώτως in mente intelligente & voluntate appetente ac libera inhæret.

De usu & abusu Philosophiæ in sacris literis.

Hæc habui, quæ de horribili labe vitii originalis strictim dissererẽ, & ut sacrorum studiosos ad Philosophiæ studium excitarem, & abusum ejus cavendum monerem. Est enim vera Philosophia lux naturalis animis à Deo in creatione insita (cujus radii aliqui etiam in natura miserè sauciata contaminataq; remanserunt) & organon Spiritus divini ad erudiendum & convincendum de veritate omnes non insanos, aut petulanter adversa fronte ei repugnantes. Nam ratio à Spiritu sancto ad divinas res percipiendas illustrata, per cœlestis doctrinæ vocem, & ex πρώτοις atque axiomatis in scriptura Prophetica & Apostolica traditis secundum normas bonæ & necessariæ consecutionis divinitus rationis compoti creaturæ impressas, considerat & judicat, quomodo partes doctrinæ inter se aptæ colligatæque sint, atque cohæreant, quomodo se mutuò stabiliant, quid illis ἀκόλουθον ac consentaneum, quid ab

iisdem sit dissentaneum & alienum. Hanc rationis ἐυπρεξίαν & usum in divinis rebus tantùm abest, ut Deus improbet, ut illum etiam severissimè requirat. Quid? quòd propter hunc usum naturam intelligentem condidit, ac δύναμιν κριτικὴν ἐπιστήμην seu normas judicandi & discernendi verum à falso, certum ab incerto, illi insevit, ut, quæ mens & voluntas ipsius sit, probare ac confirmare, & obloquentes convincere possit. Et sicut inter sobriam veramque Philosophiam, quæ à nævis & erroribus vindicata ac repurgata, se ut famulam dominæ Theologiæ addicit, ita, ut nec extraordinaria Dei opera ordinariis naturæ operibus evertat, nec commenta & monstrosa hominum mendacia, pugnantia cum immota veritate, Verbo & natura Dei, absolutæ omnipotentiæ Dei titulo ac προσχήματι venditari permittat: Inter hanc igitur Sapientiam, & inter sacram Scripturam, ut re ipsa non est contradictio: nec, quod in Philosophia verum est, id continuò in Theologia est mendacium: sic etiã τρόπον διδάξεως, hoc est, rationem & formam res explicandi, demonstrandi, & refellendi aliam non servat Theosophia, nisi quam sana Philosophia monstrat.

Sicut itaq; (ut ad hypothesin descendamus) Logica est instrumentum verũ à falso discernendi in Philosophia, sic & in Theologia. Sicut omnis doctrina Philosophica, quæ demonstratione constituitur & absolvitur, exsistit ex principiis: ita etiam doctrina cœlestis habet sua τὰ πρῶτα ἀναπόδεικτα & αὐτόπιστα, è quibus demonstrationes Theologicæ conficiuntur. Res quidem ipsas & principia Theologica non gignit Philosophia: sed ut Theologus ex iis aliquid exstruere possit, non aliam quàm Philosophicam amussim adhibet.

Abusus autem Philosophiæ est, cum obtentu sive hujus sive Theologiæ suscipiuntur διαθέσεις contrariæ principiis seu anticipatis notionibus theologicis, & finguntur falsa principia, atq; ex his dogmata cuduntur & defensantur cũ veritate philosophica & theologica pugnantia: aut alioquin veris principiis & inde exstructis veris complexionibus multa per malam consecutionem assuuntur. Cum Philosophia fingitur sufficere ad docendos homines de Deo, ejus cultu, & hominum salute: (sicut olim Doctor quidam, audiente Melanchthone, dixit, etiam amissis libris propheticis & apostolicis satis doceri posse Ecclesiam ex Ethicis Aristoteleis) cum dogmata Ecclesiæ rationi ignota deducuntur

ducuntur non ex divinis oraculis, sed ex rationibus philosophicis, abusus philosophiæ est. Cùm, quæ philosophia de rebus sibi subjectis rectè pronunciat, ad res divinas extenduntur, ad quas minimè congruunt (ut cum politica justitia ad Evangelicam transfertur) abusus philosophiæ est, & confusio cum Theologia detestanda. Cum opiniones aut locutiones, quæ, etiam in rebus philosophicis usurpatæ, sunt incertæ, impropriæ, ambiguæ, obscuræ, & subtilitatis otiosæ, transferuntur ad res Theologicas, quæ illis involvuntur, & in pugnas disceptationum inutiles convertuntur, (sicut Flacius in doctrina de hominis depravatione disputans de formis substantialibus, & an in corruptione substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam, simplicissimam doctrinam de peccato originis in labyrinthos conjicit) aut cùm distinctiones, appellationes & phrases Philosophicæ alieno sensu, & novis ambiguitatibus sermonis vafrè excogitatis usurpantur in doctrina Ecclesiæ ad eludendum argumenta & testimonia objecta, ad quærenda effugia, & circumveniendos eos, qui insolens sermonis genus nō intelligunt, hic pernitiosus philosophiæ & rationis abusus est, Sophistarum ματαιοτεχνία est, unde iterum piscatoria doctrinæ & dictionis Apostolicæ simplicitas involvitur, & perplexa redditur, ut hodie multi Ecclesiæ doctores ad κυρίας δόξας confirmandas abutuntur Philosophicis distinctionibus diversorum modorum & respectuum.

Apparet ex his Flacium Philosophia abusum esse eo ipso, quòd dogma suum de Peccato è Philosophorum scholis deduxit, res ac doctrinas toto genere diversas confudit, ad figmentum deniq; cerebri sui doctrinam cœlestem inflexit, & detorsit. Usus contrà legitimus rationis & humanæ sapientiæ in rebus fidei est, cùm harmonia veritatis divinitus patefactæ retinetur, Philosophica dogmata ex suis, Theologica item ea, quæ supra lumen naturæ & rationis sunt, ex suis & οἰκείοις principiis extruuntur, & explicantur: ea verò, quæ naturali etiam luce cernuntur, & rationi patent, & Theologicis & Philosophicis axiomatis probantur. Bonæ enim menti grata est confirmatio veritatis, ubi intelligit naturalem & Philosophicam notitiam cum cœlesti voce conjunctam esse. Rectè igitur & benè utimur Philosophia, cùm, si alicubi divinorum oraculorum, & rectæ rationis testimonia consentire videmus, hujus etiam judiciū adhibemus. Germanus præterea Phi-

Philosophia correctio & complementum Theologiæ.

losophiæ usus est, cum Theologia judicatur esse humanæ sapientiæ ἐπανόρθωμα καὶ παραπλήρωμα, hoc est, Philosophia per cœlestem sapientiam corrigitur exorbitans, & completur deficiens, & secundum normas & metas artium judicandi de vero & falso, ac res explicandi, à Deo monstratas tàm sacra quàm profana tractantur & disputantur. Hos Philosophiæ usus concessos nobis & necessarios si quis in dubium vocat, proferat, si potest, vel unum ex augusto illo sacrarum rerum volumine argumentum, quod ad regulas bonæ consecutionis ab eruditis Philosophis traditas non congruat, probet alium esse modum contexendi syllogismum, aut inveniendi media syllogistica in Theologia, quàm in Philosophia, sive media illa sint demonstrativa, sive probabilia: probet aliam esse rationem & methodum demonstrandi Theologica, quàm Philosophica. Una atque eadem via est seu methodus ratiocinandi de omnibus quæstionibus καὶ περὶ φιλοσοφίαν καὶ περὶ τέχνην ὁποιανοῦν καὶ μάθημα, & ad Philosophiam & ad quamvis artem & disciplinam pertinentibus, inquit Aristoteles. Et Dialecticam nunquam Christiana doctrina reformidat, ait Augustinus. Quid multa? Ecclesia Dei Philosophicis literis semper fuit erudita, ut quæ sciret sine his veritatis propugnationem, pernitiosorum errorum explosionem, implicatarum rerum explicationem, difficillimarum & intricatarum quæstionum dissolutionem fieri non posse.

In Anal. pri.

Ad Cresc. Gramm.

Appendix Flosculorum Flacianorum.

1. Peccatum originis est hoc totum, quod natum est ex patre & matre.
2. Peccatum originis est anima & organa ejus: est ipsamet anima rationalis cum omnibus viribus: est universa natura & substantia nostra: est perversum cor ipsum.
3. Peccatum originis est de essentia hominis: non est qualitas ab hominis substantia distincta, & in ea tanquam in subjecto inhærens: est depravata, vitiata, adulterata ratio: est caput seu præcipua pars peccati originis.
4. Per lapsum facta est essentialis transformatio in homine, non alteratio.
5. Substantiam hominis à lapsu mansisse unam & eandem, tàm specie

cie quàm numero cum omnibus integralibus & substantialibus partibus, falsum est.

6. Anima rationalis ex optima forma in pessimam & abominalem Sathanæ larvam est transformata.

7. Renovatio & regeneratio hominis est formæ substantialis malæ in bonam commutatio, quæ propriè creatio dicitur.

8. Justitia originalis fuit de Essentia & natura hominis.

9. Imago Dei in homine prorsus non est accidens.

10. Amissa imago Dei fuit hominis causa formalis.

11. Corruptio, defectus, concupiscentia, inordinata dispositio substantiam significat.

12. Sathanas est animarum, quæ sunt substantiale peccatum, effector, creator, formator, & propagator. Aversabile pronunciatum ex Manichæo delirio profectum.

Refutatio XVI. Objectionum è Philosophicis fontibus: ut intelligas lumen gratiæ à lumine naturæ & philosophiæ multum adjuvari.

1. Accidens non est de essentia substantiæ.
Peccatum orig. est de essentia hominis.
Ergo peccatum originis non est accidens.

Nego assumptionem. Peccatum enim non est hominis definitio, neque pars definitionis hominis, neq; materia neque forma hominis, neq; genus neq; differentia specifica hominis. Itaq; non est καθ' αὑτὸ primi modi hæc: Homo habet peccatum peccans. Et falsa est hæc: Homo est peccatum. Nec de essentia rei esse philosophis est idem, quod esse essentiale secundo modo, sicut proprium adjunctum καθ' αὑτὸ est subjecto suo: sed ingredi in essentiam rei, ita, ut ejus pars sit ac principium.

2. Totus homo non est accidens.
Peccatum originis est hoc totum, quod natum est ex patre & matre.
Ergo peccatum originis non est accidens.

Resp. Si assumptio esset vera, peccatum originis regeneraretur. At hoc dicere absurdum est. Omnes hominis partes natæ sunt ex patre & ma-

& matre: accidentia, ut peccatum originis, sunt connata: sicut Deus substantias creans, concreat accidentia.

3. Homo indiget transformatione, regeneratione, nova creatione, quæ fiat à Deo.

Ergò est in eo substantialis forma à Sathana impressa.

Consequens non sequitur ex antecedente: Quia Sathanas non est creator, qui substantiales formas infundat: nam creare est attributum Dei, quo distinguitur ab omnibus creaturis, quibus est ἀκοινώνητον, id est, incommunicabile. Nec necesse est Sathanæ imaginem poni, ubi Dei imago non est. Inter imaginem enim Dei & imaginem Sathanæ interjecta est Imago Adæ, ad quam gignimur. Imò in homine etiam post lapsum aliquid reliquum est imaginis divinæ, ut notitiæ in mente, libertas regendi locomotivam in voluntate & στοργαὶ Physicæ in corde erga cognatum sanguinem, &c. Hoc tantùm sequitur: Homo indiget transformatione & nova creatione. Ergo homo in peccato est mortuus, & destituitur vita spirituali.

4. Omnis corruptio substantiæ abolita priori forma substantiali introducit novam formam hominis, eamq; substantialem. Aristoteles in physicis.

Per peccatum totus homo est corruptus, tam quoad animam, quàm quoad corpus.

Ergo peccatum introduxit novam formam hominis, eamque substantialem.

Hoc argumentum habent pro Achilleo, & in eo quasi victoriæ palmam constituunt. Sed resp. 1. Sunt 4. termini in Syllog. Propositio enim loquitur de corruptione substantiali, quæ opponitur Generationi novæ substantiæ. Assumptio verò: Peccatum est corruptio substantiæ: Vera est de inquinatione, infectione, depravatione, vitiatione, perversione, læsione, vulneratione substantiæ. 2. Propriè loquendo non corruptio sed generatio novam formam introducit. In anima autem hominis neq; per peccatum, neq; per restitutionem Spiritus Dei fit physica vel generatio vel regeneratio alterius speciei, sed planè spiritualis & hyperphysica, seu cœlestis ac divina, quæ ex verbo Dei, non Aristotelis physicis æstimanda est.

5. Si peccatum originis tantùm est naturæ adventitia adhærescensq;

conta-

contagio, & justitiæ accidentariæ privatio, substantia Adami post lapsum mansit per se bona & integra.

At non mansit per se bona & integra. Ergo peccatum originis non est, &c.

Mansit per se bona, quia bonum est esse substantiam, ut ait Augustinus contra secund. Manich. cap. 15. & evasit mala per accidens & propter accidens peccatum, quod est à bonitate defectus, & boni privatio. Oppono huic argumento istud:

Peccatum si substantia esset, bonum esset. Augustinus Confess. lib. 7. cap. 12.

At peccatum malum est.

Ergo peccatum substantia non est, non est quiddam per se subsistens.

Sic Basilius in concione, quòd Deus non sit author peccati: Μήτε ἰδίαν ὑπόστασιν τοῦ κακοῦ εἶναι φαντάζου. Neq; propriam aliquam esse subsistentiam mali imagineris. Οὐ γὰρ ἐστὶν ὑφεστὼς ὥσπερ τι ζῶον ἡ πονηρία. Non enim est quiddam subsistens malitia, quemadmodum animal οὔτε οὐσίαν αὐτῆς ἐνυπόστατον παραστῆσαι ἔχομεν. στέρησις γὰρ ἀγαθοῦ ἐστὶ τὸ κακόν. Neq; nos ejus essentiã subsistentem exhibere possumus. Malum enim est privatio boni.

Simile huic est istud: Si peccatum non est natura ipsa, naturalia post lapsum manserunt integra. Resp. Fallax connexum est. Sicut enim cum reddis oculum vitiosum inflicto vulnere, rectè dicis, Naturam violatam esse: Ita postquam homo ex justitia in peccatum prolapsus est, rectè & verè dicitur, Naturalia non esse integra, modò rectè intelligatur.

6. Morte spirituali potissimùm essentialis forma tollitur.

Peccatum est mors spiritualis.

Ergo peccato essentialis forma tollitur.

Nego majorem. Nam morte naturæ essentialis forma & vita tollitur. Peccatum non est mors physica. Ergo.

7. Si peccatum esset accidens, accidentia essent corrupta, & naturalia (ut liberum arbitrium) Integra.

Sed naturalia non manserunt integra, sunt corrupta.

Ergo peccatum non est accidens.

Falsum est connexum. Multa enim accidentia vitiant, depravant, corrum-

corrumpunt naturam ſeu eſſentiam, ut morbus & vulnus. Sic cæcitas deſtruit oculum: ruina ædificii eſt deſtructio ejus. Cæcitate interit oculus, qui niſi fuiſſet φθαρτῆς φύσεως, id eſt, naturæ corruptibilis, cœcitati locus non eſſet, ut inquit Baſilius. Et tamen Cœcitas eſt accidens (non poſitivum, ſed privativum, & deſtructivum) teſte eodem. Cœcitas enim, inquit, ACCESSIT (condito oculo) ipſo oculorum interitu: τυφλότης τῇ ἀπωλείᾳ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπεγένετο.

8. Sed cœcitas deſtructio eſt formæ ſubſtantialis oculi. Ergo & peccatum originis eſt deſtructio formæ ſubſtantialis hominis.

Reſp. Eſt diſpar ratio. Nam cœcitas eſt privatio formæ eſſentialis. Peccatum verò privatio formæ tantùm accidentalis, ut juſtitiæ.

9. Peccatum originis eſt naturale & perſonale, imò totius ſpeciei humanæ. Ergo non eſt accidens ab ipſa ſubſtantia hominis diſtinctum.

Reſp. Hoc conſequens tantùm ex antecedente inferri poteſt: Ergo non eſt accidens ſeparatum ab hominis ſubſtantia. Aliud eſt diſtinguere ſeu diſcernere accidens ab ipſa ſubſtantia, aliud ſeparare. Etiam conjunctiſſima diſtinguuntur & diſcernuntur ne fiat confuſio, etſi non ſeparentur & divellantur à ſe invicem, ut: Quanto conjunctum eſt Quale inſeparabiliter, & tamen alterum ab altero ratio diſcernit. Caro leproſi ab infectione ſeparata monſtrari nequit. Eſt enim tota longè lateq; per lepram infecta pollutaq;. Aliud tamen cogito eſſe ipſam carnem, aliud lepram quæ eam inficit.

Sic homo & peccatum peccans ſunt quidem diſtincta (unterſcheiden) ſed non ſeparata (ungeſcheiden) Hoc enim malum tenaciſſimè inhæret toti hominis ſubſtantiæ ſeu naturæ, & unà cum ſubſtantia in poſteros propagatur, natura corrupta gignente ex ſe corruptam.

10. Accidentia ſunt à natura aliena.

Juſtitia originalis ſeu imago Dei non eſt res à natura hominis aliena:

Ergo non eſt accidens.

Major non eſt generaliter vera. Multa enim accidentia ſunt naturæ οἰκεῖα, familiaria, conſentanea, etſi non ſint ipſa natura. Sic imago Dei in homine etſi non eſt de eſſentia naturæ humanæ, non tamen eſt ab hac aliena, quia non adhæret ei, ut lutum aſperſum capiti, ſed fixiſſimè inhæret: non eſt externum παρακείμενον (adjacens) ſed internum.

11. Imago

11. Imago Dei non est bonum ascititium ab extra ad hominem conditum adveniens. Ergo est substantia.

Resp. Etsi imago Dei non sit Externum, tamen est Internum accidens, quod ut ornamentum homini concreatum est & connaturale, nec accessit ad hominem, postquam jam conditus est. Non igitur hinc inferri potest, esse substantiam.

12. Substantia hominis est extremè mala. Ergo per se non est bona.

Nego antecedens.* Nam Malum summum excludit omne bonum. Igitur etiam subjectum, quod ut ens per se bonum est, excludit. Malum igitur nullum habet fundamentum. Ergo omninò nihil est malum summum: Seu ad anteced. sic resp. Substantia, quâ substantia, non est mala. Ergo substantia, quâ substantia, non est extremè mala. Summè & extremè bonum esse potest. At summè omninò extremeq; malum dari non potest, quia seipsum destruit. Hoc est: In universo non potest dari summum malum, nihil boni includens: ut datur summum bonum ab omni malo secretum. Ut ægritudo non potest competere corpori sine aliqua sanitate, qua tanquam fundamento nitatur, teste Averroe: sic vitrum, quod malum est, sine fundamento BONI, quod substantia est, consistere nequit. Angelus etiam malus est Bonum, quatenus creatura seu opus Dei est, à quo confusio & ἀταξία discernenda est. Sic autem arguo:

Malum est in bono. Et: Nihil adeò malum, quin nitatur aliquo Bono.

A summè bono (Deo) non potest aliquid non bonum conservari. Scalig. exerc. 307. sect. 27.

Hominis substantia à Deo conservatur.

Ergo hominis Esse est Bonum. At peccatum originis malum est. Ergo peccatum originis non est hominis Esse. Rectè itaq; Augustinus lib. 4. Hypognost. Quid est malus homo, nisi malum bonum?

13. Natura sumus filii iræ. Ergo non per & propter accidens.

Resp. Natura esse filium iræ, & per ac propter accidens tenacissimè inhærens peccatum esse filium iræ, non sunt opposita, sed consentiunt. Itaq; sic contrà arguo: Natura sumus filii iræ. Ergo propter aliquid naturæ inhærens, seu propter defectum boni in natura.

14. Si non substantia rationalis, sed qualitas in homine est imago Dei, archetypum creatorem referens, brutum accidens erit imago Dei, & ita Deus erit brutus.

Argumentum hoc bruti est sub figura hominis, ad quod refellendum, non est quòd advocem Carneadem. Accidens neq; est brutum, neque rationale, sed est vel bruti, vel rationalis, vel neque bruti, neque rationalis. Albedo ratione præditi hominis est, brutæ vaccæ est, von viventis parietis est: ipsa albedo bruta &c. non dicitur. Sic peccatum non potest dici accidens brutum. Tales nugæ non sunt dignæ refutatione, sed fustuario.

15. Deus creavit omnia valde & per se bona. Ergo substantia hominis non est per accidens bona.

Resp. Non pugnant inter se: Hominis substantia per se bona est, nempe quà substantia, substantiali bonitate: & Bona est accidentali bonitate. Nam bonum uniuscujusq; vel pertinet ad esse, ac ita unumquodque in quo gradu est, in eo est bonum: vel pertinet ad benè esse: & hoc vel est habitus, ut virtus, vel actio ex virtute prodiens. Seu Bonitas est triplex. Prima est Transcendens, affectio entis, quæ non habet contrarium (malum.) Est enim eadem re ipsa cum entitate. Secunda est Relativa, quæ est congruentia naturæ quædam, & est perfectio cujusque entis, quâ tale est, producta ex iis quæ requiruntur ad finem illius entis. Ad eam pertinet pulcritudo & rectitudo virium. Tertia est moralis, quæ est perfectio actus cum recta ratione, & appellatur Habitus. Vide Scalig. exer. 307. sect. 27. & Piccolhomineum de instrument. virtut. gradu 8. cap. 2. pag. 626.

16. Nostri mutatio per lapsum est transformatio, quia nostri mutatio per spiritum Dei est transformatio. Ergo non est alteratio, nec dici potest qualitates tantùm esse alteratas.

Resp. Nostri immutatio per spiritum Dei est transformatio, non substantialis, sed accidentalis, hoc est, est Renovatio, qua ex injustis sensim evadimus justi. Ergo est alteratio. μορφὴν non semper pro substantia, sed sæpè pro qualitate etiam poni, docet philosophia Aristot. & Organum ejus. Nec dicimus qualitates esse alteratas, sed subjectum ipsum esse alteratum, hoc est, mutatum abjectione alicujus qualitatis: ut in aqua dicimus factam esse alterationem, cùm abjecto frigore recepit calorem. In aëre dicimus factam esse alterationem, cùm pulsis tenebris lux infusa est. In mente discentis facta est alteratio, cùm accepit

novam

novam notitiam. Sic homo alteratur, eo ipso quòd ex injusto fit justus, vel ex justo injustus. Actiones enim & perpessiones sunt subjectorum suppositorum.

Et tamen, quod hic mihi objicias: Paulus Rom. 7. Non, inquit, ego operor malum, sed quod habitat in me peccatum. Figuratè enim ibi Peccato hospitis seu habitatoris personam tribuit Paulus, nec sentit naturam seu substantiam ipsius nihil peccare, nihil habere vitii seu peccati, aut peccatum sic habitare in substantia sua, sicut malus nequam & perversus hospes in hospitio bono, quod ex malitia hospitis nihil contrahit malitiæ: sed ostendit & se non totum, etiam quà novus homo fit, malum operari, & aliud esse ipsam substantiam, quæ in conversione incipit hanc innatam malitiam per Spiritum sanctum execrari & aversari: Aliud verò ipsam malitiam naturæ seu substantiæ, quæ substantiæ naturaliter inhæret seu inhabitat. Non facio cum Til. Hes. qui dicit, cùm dicitur, peccatum operatur, esse tropicam locutionem, qua instrumento tribuatur quod subjecti (hominis) proprium est. Revera propria est locutio. Hìc quando rursum objicitur: Peccatum si privatio est accidentalis, nullam potest habere operationem: Privatio enim, inquit Scaliger exerc. 18. nullam habet actionem: Responderi potest 1. Privatio nullam habet actionem, scilicet sola. Actio igitur est perversæ rationis, depravatæ voluntatis, vitiosi appetitus, contumacis & non obedientis cordis. 2. De privatione physica Scaliger loquitur, sicut & de physica actione & physico motu, quod ostendunt contextus & exempl. Manet igitur quod ex Paulo dicimus: Peccatum inhabitans, quod certè est, respectu aberrationis, aversionis, & recessus à lege Dei, & formaliter consideratum, privatio & defectio, malum operari. Quidam secuti Dionysium Areopagitam in libr. de divinis nominibus, sentiunt subtiliter, vitio ut privationi, non competere causam efficientem per se, sed ex eventu, id est, per accidens, non verè efficientem, sed deficientem potiùs: Non competere ei efficientem per se, quia non optatur ut malum, sed sub forma apparente boni. Causam ejus non esse verè efficientem, sed deficientem, quia malum patrat per impotentiam & depravationem. Sed hæc intelligenda sunt de vitio actuali, non originali.

Objectio.

Alia objecti.

Porrò quòd regeneratio non sit metamorphosis essentialis & trans-

ſubſtantiatio, præclaræ ſententiæ Auguſtini oſtendunt. Per gratiam non tollitur humana voluntas, ſed mala mutatur in bonam. Fit converſio non detracta ſubſtantia animæ, ſed ea, quæ vitiata & depravata fuerat, ſanata & correcta. Itaque Spiritus ſanctus non eſt deſtructor naturæ, ſed Medicus, id eſt, ſanat quæ in natura ſunt languida & morbida. Non tollit libertatem ſpiritus, ſed potiùs emendat: qualitatem arbitrii mutat, ut loquitur Proſper.

Jo. W.

Quæ omnia cùm ita ſint, etſi fateamur naturales facultates eſſe corruptas, tamen illæ homini non ſunt adimendæ, nec dicendum inſulsè cum quodam: Vix dimidiam mentem & qualescunque reliquias ejus ſupereſſe, perinde ut ſi dolium ſupereſſet, vino penitus effuſo, fecibus tamen quibuſdam vinum redolentibus, vix in imo fundo reſiduis: Reliquias tantùm quaſdam veluti deſtructa domo ruinoſas quaſdam materias extare: Subſtantiam ita mutatam, ut vinum in acetum, vel vappam, ut mutatur olea in oleaſtrum, vitis in labruſcam, argentum in ſcoriam, quæ mutationes phyſicæ ſunt, quibus ſubſtantiæ in alias ſubſtantias mutantur: Græcis μεταποιήσεις καὶ μετουσίαι. Facultas ſeu vis intelligendi & volendi non eſt amiſſa in nobis. Ea enim eſt οὐσιώδης ſeu eſſentialis: Sed facultas naturalis ſeu δύναμις φυσικὴ, id eſt, rectè & benè intelligendi ac volendi: amiſſa eſt rectitudo & perfectio virium: ut qui diſtortè videt, non amiſit naturam oculi, & δύναμιν ὁρατικὴν (id eſt, poſſe videre) quæ eſſentialis eſt, ſed δύναμιν phyſicam (rectè poſſe videre.) Longiores hìc ſumus, quia Flacianum errorem ex animis quorundam evulſum imus.

XXIIII.

An eſſentia actusq́; & finitio cujusq́; rei ſit ſimplex & incommunicabilis? & An Habitus ſint partibiles?

TRITA eſt & vetus opinio, quæ ex Græcorum & Latinorum philoſophorum literis atq; monumentis conſtat: Habitus eſſe formas impartibiles, ſeu non ſecari in partes, ſed dividi in ſpecies. Exemplo eſt virtus. Et tamen ita loquuntur philoſophi, ut dicant partes fortitudinis, partes prudentiæ. Dico igitur: Habitus etſi non ſecatur in partes ſenſiles (quales ſunt organicæ ſeu inſtrumentariæ,) propter formæ acci-

mæ accidentalis simplicitatem: secatur tamen in partes intelligibiles (quales etiam sunt partes definitionis) propter nostrum modum intelligendi. Tales igitur partes habet ars, ut habitus mentis considerata ab Aristotele in Ethicis. Sed & μεῖζόν τι est ars considerata ut doctrina universalium & propriorum præceptorum methodicè comprehensa, seu ordinatim constituta. Sanè quicquid constat distinctis à se invicem præceptis, habet partes. Ars constat distinctis à se invicem præceptis. Ergo habet partes. Sic partes habent effectiones & operationes nostræ, ut compositio διάνοια. Quid? quòd Essentia cujusq; rei definitioq; simplex, in partes naturales individua est, & incommunicabilis. Nam quòd definitio prædicatur & est oratio, illud fit, quatenus propter nostram rationem partibus quibusdam contexitur, & Logicas generis & differentiæ notiones suscipit. Per se enim simplex quiddam est, ut ipsum definitum, à quo re ipsa non differt. Rem sic pleniùs accipe. Primùm extra intellectum ipsa per se cujusq; rei forma, species & essentia, qua res est, individua & simplex est: Itaque intellectus noster speciem & essentiam illam studet apprehendere, & ipsam quidem apprehendit, non tamen individuè & simpliciter, ἄνευ συμπλοκῆς, id est, sine complexione notionum, sed per compositionem generis & differentiæ. Propter hunc igitur intelligendi modum species essentiæque rerum earumq; definitiones compositæ dicuntur.

Postea istam tandem compositionem ratio nostra ad simplicitatem revocat, ut ipsa mens νοῦς seu intelligentia, in se ipsa cujusq; rei speciem, per compositionem & διάνοιαν antea collectam, simpliciter intueatur, nulla habita ratione compositionis prioris. Et hoc modo quævis species in se ipsa considerata in tertio modo prædic. per se collocatur.

Duplex ratio seu consideratio definitionis.

Accedit huc, quòd λόγος οὐσίας, seu Definitio potest dupliciter considerari. 1. Vel secundum θέσιν Logicam, per quam in intellectu constituitur definitio. Id quod fit per generis & differentiæ νοήματα seu notiones logicas, & per κατηγορίαν, id est, attributionem seu prædicationem. Hoc modo definitio est compositum quiddam, & ratione partium suarum aliquid communicabile, cùm genus non ad unicam tantùm, sed ad plures species sese proferat. 2. Vel ratione speciei & essentiæ, cujus est δηλωτικὴ, id est, quam repræsentat. Ejus τό τι ἦν εἶναι exprimit, eoq; modo est incommunicabilis, simplex, in partes individua.

Ipsi

Ipsi itaq; definitioni per accidens, id est, quatenus è genere & differentia contexitur, convenit compositio, propter scilicet intellectum nostrum imperfectiorem, qui simplices species non potest simplici intelligentia apprehendere, quomodo oculis apertis puncto temporis, quamvis rei visibilis speciem nobis oblatam & ὅλως ὅλην, id est, undiquaque totam & simul, non ejus partem aliquam hoc, aliam deinde partem alio tempore, percipimus. Hoc modo intellectus simplex angelicus species intelligibiles & essentias unico velut intuitu apprehendit simul & semel totas. Nos igitur cùm hoc modo non possimus ipsas rerum species apprehendere, quomodo fieri potest earum apprehensio? Primò est instituenda compositio seu διάνοια (discursus) quædam, qua singulas paulatim speciei alicujus partes colligimus, quæ tamen ipsi speciei non per se (per se enim est ἀδιαίρετος) sed propter intellectum nostrum conveniunt. Postea species sic intellectas mens ipsa, in seipsa, nullo compositionis respectu habito, intuetur. Atq; hæc causa est, quòd definitio ad primam mentis actionem, non ad secundam refertur. Quæ dicta sunt adhuc, exemplo familiari declaremus: Definitionem & essentiam hominis non percipis, nisi primò scias, esse substantiam, addas deinde esse corpoream substantiam, denique progrediaris & cognoscas esse anima præditam, item anima sentiente, deniq; intelligente. Hæ partes non sunt in ipsa hominis essentia. Non enim potes in hominis essentia assignare aliquid, quod tantùm sit substantia, deinde aliud quod sit corporeum, deniq; aliud, quod sit anima sentiente aut intelligente præditum. Neque est aliquid in hominis essentia, quod tantùm sit animal, aliud deinde quod rationis sit compos: sed una eademq; οὐσία simul & semel undiquaq; est animal, & ratione præditum, est substantia, & quidem corporea. Quinam ergò fit, quod definitio hominis ejusmodi partibus constat? Illud fit propter nostrum intelligendi modum: quia rei speciem & essentiam non possumus simul & semel (ut loquuntur) undiquaq; totam apprehendere. Id quod hac similitudine manifestum fiet. Esto pannus aliquis convolutus, variis coloribus & textilibus pictus, is si evolvatur, non poteris simul omnia apprehendere statim, sed partem post partem. Vel esto crystallus, in quo conclusa gemma sit, cujus variæ sint & diversæ facultates, varii in eodem subjecto colores. Esto, te non omnes videre colores, sed alium

Intellectus noster imperfectior angelico & dissimilis visioni.

alium post alium, & experientia modò hanc modò aliam illius gemmæ facultatem deprehendere. Hic ipsa gemma erit unica, & simplex, non tamen simul & semel secundum omnes suas vires & facultates à te percipietur. Sic hominis essentia semetipsa est simplex, sed quia nos è sensilibus colligimus essentias rerum, idcircò de una eademque essentia plura formamus νοήματα: quæ latinis philosophis sunt conceptus & notiones. Primùm percipimus, illa esse ens per se subsistens, & hinc substantiæ νόημα de homine prædicamus. Postea animadvertimus illam ipsam hominis essentiam esse corpoream, item in se ipsa habere principium vitæ. Itaq; fit, ut alia plura formemus νοήματα, quæ & ipsa de homine prædicamus, velut, esse corporeum, animatum, & sic progredimur, donec ad postremum perveniamus, quo hominis essentiam ab omnibus aliis separatam intelligimus. Ex his pluribus νοήμασι colligimus unam definitionem: quæ compositio, ut apparet, convenit speciei hominis in intellectu non per se, sed propter nostrum intelligendi modum. Postremò, per prædicationem & compositionem inventa hoc modo specie & essentia hominis, animadvertit intellectus noster, se quidem per illam compositionem in notitiam speciei humanæ pervenisse: ipsam tamen speciem non hoc modo compositam, sed simplex & individuum quiddam esse, quod tamen partium illarum compositione exprimatur. Hic simplex illud & individuum εἶδος, ipsa mens in se ipsa ab omnibus sensilibus velut speciebus semet avocans contemplatur. Hoc εἶδος vocatur αὐτοείκαστον, quia est simpliciter ipsum, nullis partibus constans: Id quod ab intellectu quidem animadvertitur, verbis tamen ita exprimi non potest. Velut per formationem istorum νοημάτων, animal ratione præditum, intellectus intelligit, quid sit hominis essentia, sed tamen animadvertit ipsam hominis essentiam & speciem hac finitione expressam, non esse hoc modo compositam, sed simplicem, eamq; idcirco ipsam in se ipsa intuetur.

XXV.

Fieri quot modis dicatur in philosophia Aristotelica?

UT Flacii de corrupto & regenerato homine argumentum ex fundamento convellamus, dicimus cum philosophis Peripateticis:

Aristoteles lib. 1. de ortu & interitu cap. 3.

Dici aliquid Fieri bifariam: *Vel simpliciter:* Hinc ortus & interitus simplex, quo subjectũ non fit tantùm ἀλλοῖο (alterum,) sed etiam ἄλλο (aliud,) ipsumq́; τόδε τι non manet secundum essentiam: Vel κατά τι & per accidens: Hinc ortus & interitus secundum quid est, in quo ipsum τόδε τι permanet secundùm essentiam, variatur autem κατὰ πάθος, & fit ἀλλοῖο tantùm, non etiam ἄλλο, ut si frigidum aërem incalescere dicas, hìc aër fit quippiam, sed non simpliciter, verùm secundum quid tantùm, & aër non fit ἄλλο quiddam, sed ἀλλοῖο tantùm. Fit enim è frigido calidus, ipsumque τόδε τι, nimirum aër, permanet: Variatur autem secundum πάθος seu affectionem caloris & frigoris: quod vulgò & satis usitatè dicitur, Alteratur. Quòd si ex aëre fiat ignis per rarefactionem, vel aqua per condensationem (quæ rarefactioni contraria est) ortus & interitus hic simplex est. Non enim aër fit tantùm ἀλλοῖο, id est, non tantùm secundum affectionem inhærentem variatur, sed etiam fit ἄλλο seu aliud, nimirum ignis vel aqua, ubi non permanet, sed corrumpitur vel generatur ipsum τόδε τι. Quando ergo homo, qui renascitur, dicitur fieri nova creatura, intelligendum est nasci seu fieri non simpliciter, sed κατά τι. Non enim in creatione hac & regeneratione fit alia numero massa cordis, non fit ἄλλο, quod fit in generatione, per substantiam, quæ generatio simplex dicitur, sed cor instauratur ac renovatur novarum qualitatum receptione, quæ non fit ἀλλότης (seu ἑτέρωσις) in subjecto, sed ἀλλοιότης, ut utar verbis Scaligeri exerc. 6. sect. 14. Sic corruptio seu depravatio imaginis Dei, ad quam homo initiò erat conditus, facit ut homo non sit alius, sed tantùm alter.

Regeneratio hominis est ἀλλοίωσις, non ἁπλῆ γένεσις.

XXVI.

An intellectus agens ipse intelligat? & an idem sit quod νοῦς ἐνεργείᾳ?

UT voluntas voluntas non est, si non vult: sic intellectus intellectus non est, si non intelligit. Quid igitur est quòd quidam dicunt: Intellectum agentem non intelligere, sed intellectionem efficere? Respondeo: Intellectus, quâ intellectus, intelligit formaliter necessitate definitionis immota. At intellectus, quâ agens, formaliter non intelligit, non judicat, sed effectivè (ut vinum non est calidum formaliter,

maliter, ſed effectivè) Intellectionem enim efficit & perficit. Patiens verò eſt is, qui intelligit τὰ νοητὰ. Actus igitur intelligendi ineſt in intellectu patiente, ut ſubjecto, ut contrà riſus non eſt in anima ſubjectivè, ut dicatur ipſa anima propriè ridere: ſed fluit ſeu procedit ab anima, ut cauſa agente per ſimplicem emanationem. Appoſitum ad rem eſt hoc ſimile. Ut lumen non recipit colores, non autem videt: Ac ut lumen & color è materia producunt ſpecies viſiles: Sic intellectus agens non intelligit, non recipit ac reſervat notionem intelligibilem: ſed vi intelligendi præditus eam efficit & producit. Porrò actu intellectus & agens intellectus Ariſtoteli non ſignificant prorſus idem. Actus eſt perfectio patientis intellectus. Itaque actu intellectus eſt patiens intellectus. Quando autem hic eſt in potentia, ab agente tandem ad actum deducitur, actu intelligit, & judicat, ideoque agit. Neque enim intellectus mentis ſeu ſolùm pati eſt ſpeciem recipiendo, ſed agere cognoſcendo ſpeciem. Alio autem modo & reſpectu patiens jam informatus intellectus agit quàm is qui Agens ſeu Faciens dicitur. Hic agit in patientem. Patiens ſeu materialis agit in ſpecies, eas judicando, aliud ex alio deducendo, perpendendo, recognoſcendo. Utrius autem, facientíſne an patientis intellectus ſit χωρίζειν, hoc eſt, abſtrahere, dubium eſt. Communiter abſtractio tribuitur facienti intellectui. Sed Zabarella diſſerit eam propriè eſſe intellectus patientis, lib. de Mente agente pag. 920. Ego hìc ab aſſenſu, ut & aſſertione, me ſuſtineo. Si erro, erranti comiter via monſtretur.

An abſtrahere ſit patientis intellectus?

Communior ſententia intell. agentem abſtrahere.

XXVII.

An intellectus patiens & faciens differant realiter & eſſentialiter?

QUidam, quà veteres, quà recentiores, ſtatuunt intellectum ἐνεργητικὸν καὶ παθητικὸν diſtingui realiter. Hoc non approbo, ratione videlicet ſenſus, quì cum dicitur eſſe compoſitus. Nam intellectus patiens, ut ſeu quà intellectus eſt, ratione tantùm diverſus eſt ab agente (ut agens ſenſus à patiente.)

Verùm objicitur: Quæ habent ſe ut agens & patiens, diſtinguuntur realiter. Intellectus faciens & patiens habent ſe ut agens & patiens. Ergo diſtinguuntur realiter.

Resp. Propositio generatim vera est de agente per transmutationem, cujus actus est transiens. At intellectus faciens est agens per emanationem seu simplicem productionem, cujus actio est immanens, qua rerum naturas cognoscimus. Tale agens potest agere in seipsum. Itaq; differt à seipso ratione.

Objectio. At patiens est intelligentia cum phantasia conjuncta. Itaq; dici potest ratione sensus seu phantasiæ (quæ αἰσθητικὴ, id est, sentiens animæ potentia est) cum qua compositus dicitur ratione & re patiens intellectus diversus esse ab agente.

Respondeo 1. Hanc causam, societatem nimirum sensus, non sufficere ad reale discrimen: Quia & intellectus agens cum phantasmate producit νοητὰ. Dependet enim agens intellectus vel ipsis, qui aliud à nobis hîc sentiunt, affirmantibus ab usu phantasiæ & phantasmatis in speciebus intelligibilibus in intellectu patiente producendis & repræsentandis, id est, agens intellectus non potest in intellectu patibili producere speciem intelligibilem alicujus rei repræsentatricem, cujus secundum se vel secundum aliquid, quod cum ea confertur, seu ordinem ac respectum ad eam habet, non fuerit etiam species repræsentatrix in phantasia. 2. Valde dubium est, utrum potentiæ animæ inter se differant realiter, an ratione tantùm.

XXVIII.

Quænam res sit intellectus agens?

Averroes in paraphrasi metaphys. & Alexander. Zabarella.

Quod intellectus agens sit, ferè receptum est. Quæ res sit non constat inter omnes. Nonnulli volunt esse ultimum motorum cœlestium aut ipsum Deum. Itaq; separatum ita ab homine, ut secundum essentiam non sit pars hominis, sed tantùm extrinsecus assistens. Alii finxerunt aliud. Ego statuo à mente Aristotelis alienum esse, facere agentem intellectum formam assistentem, efficientemq; in eo intellectionem Deum, vel mentem cœlestem aut supracœlestem. Mea argumenta hæc sunt:

1. Propositum est Aristoteli in doctrina de anima corporis viventis, de intellectu humano naturali, non de externo metaphysico, seu supranaturali & ἐπουρανίῳ agere. De hoc si ageret, faceret μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, & professionis physicæ fines limitesq; excederet.

2. Philosophus mentem facientem vocat κατ᾽ ἀναλογίαν artem & habitum: quæ magis conveniunt cum natura & vi interna ac essentiali animæ, quàm cum Deo naturam transcendente.

3. Si intellectus faciens esset Deus seu Numen: hoc ipsum esset multorum errorum σύνεργον. Nam officium agentis intellectus est fabricare intelligibilia, perficere phantasmata, ut idoneum fiant objectum ad movendum intellectum patientem. Jam si Deus est agens intellectus: junctus phantasmatibus nostris, hæc ipsa apta reddet ad species quiditatum intellectui patienti imprimendas. Annón igitur erit antecedens causa adjuvans errantis judicii, cùm falsa fucatáve pro veris & germanis apprehendimus?

4. Quomodo Aristoteli intellectus faciens sit Deus, cùm dicat, patientem & facientem intellectum esse differentias in anima. Deus autem Aristot. non sit in anima hominis. Nam in phys. 8. contextu 84. locũ & domicilium primi motoris Dei Opt. Max. facit circumferentiam seu convexum ultimæ, hoc est, extimæ sphæræ: ut videatur sensisse: Deum in cœlo seu ad extremæ sphæræ convexam superficiem ita esse, ut non in centro seu terra, multò minùs ubiq; sit οὐσίᾳ sua. Nec igitur in hominis anima. Non igitur quasi pars animi est.

5. His addo illa Scaligeri ex. 107. sect. 19. Alexander nugatur, cùm ait: Intellectum extrinsecus advenientem esse Deum. Quasi Deus ipse, cùm intellectum fabricaret, nequiverit ei quantum satis esset lucis insinuare, sed ipse coactus sit assistere præsens ministerio tanquam præfectus quidam prætorio.

Porrò fuerunt, qui existimarent intellectum agentem esse authorem omnium inventionum, verbi gratia, horologii, machinarum, navigationis, & aliarum artium caput atq; parentẽ omnium consiliorum: Materialem verò seu patientem intellectum esse quasi usufructuarium & beneficiarum illius vel discipulum, cui illa bono sint. Hoc si ita esset, omnis discursus & omnis ratiocinatio, ab illo proficisci videretur. Nihil igitur opus esset materiali intellectu cui ratiocinatio tribuitur. Quare ut Natura intellectus agentis intelligatur, sequentes theses ex peripatetica philosophia sumptæ considerentur:

Ph. M.

Refutatio.

1. In mente nostra & est aliquid quod materiæ locum obtinet, & quod omnia potest esse, seu omnia est δυνάμει, cùm actu non sit. Et est aliquid quod formæ rationẽ sustinet, quæ efficit ut res ipsa actu existat.

2. Itaq; duplex facultas est mentis humanæ: Altera agens seu efficiens (νοῦς ποιητικὸς:) Altera patiens: Græcis νοῦς παθητικὸς.

3. Propter agentem mentis facultatem omnia effici: propter patientem verò omnia recipi νοητὰ (id est, intelligibilia) dicitur.

4. Mens agens est quæ facit è δυνάμει νοητοῖς, id est, intelligibilibus facultate, ἐνεργείᾳ νοητὰ, id est, actu intelligibilia.

5. Mens patiens verò est velut materia & subjectum, cui species intelligibiles imprimuntur.

6. *Prior itaq; facultas* mentis, seu mens efficiens, est sincera, simplex ἀπαθὴς, sua natura à corpore & materia separabilis forma. Est principium ac causa intelligentiæ, quæ νόησιν, id est, intellectionem in mente patiente per phantasmata excitat, & è δυνάμει ἐνέργειαν efficit. In corpore tamen sine mente patiente nihil intelligit.

7. *Mens verò patiens* est similis tabulæ rasæ, in qua etsi nihil scriptum sit, aliquid tamen inscribi potest.

8. *Propter hanc mens hominis* non est sincera, sed aliquo modo composita, & dissolubilis, itemq; posse affici & pati dicitur.

9. *Differt autem à* phantasia, non numero, sed ratione tantùm. Quatenus enim phantasia facultatibus inferioribus se adjungit, seu cum iis conjuncta est, & sensiles recipit species, (ab exterioribus sensibus acceptas) φαντασία dicitur. Quatenus verò se accommodat menti, eoque visa illa sive phantasmata exhibet, ut efficiantur Intelligibilia, dicitur mens patiens.

Duo consectaria.

10. *Mens igitur hominis composita* est è duplici ista facultate animæ, scilicet ipsa mente agente, & phantasia, sine qua in hoc corpore nihil intelligimus.

11. *Et phantasmata* sunt δυνάμει νοητὰ, quatenus nondum à materia sensili quantitate & aliis confusis accidentibus sunt secreta, elaborari tamen possunt. Actu verò νοητὰ & species intelligibiles dicuntur, quando jam actu in mente patiente sunt elaborata, & ab agente patienti menti impressa.

12. *Ex quo intelligitur*, speciem αἰσθητὴν seu sensilem, & speciem νοητὴν, id est, intelligibilem, non differre essentia, sed λόγῳ tantùm. Αἰσθητὸν enim εἶδος (id est, speciem sensilem) quod phantasia concepit, quoad est in phantasia, & cum materia, quantitate, & aliis accidentibus concretum,

cretum, ſingulare dicitur. Sed quoad mens agens removet materiam, quantitatem, & id genus alia accidentia, ipſamq; eſſentiam & formam, quæ ſenſilibus accidentibus obvoluta jacet, intuetur, eatenus dicitur actu intelligibile.

Ex αἰσθητοῖς efficiuntur νοητὰ ſecretione ſenſilis materia, & quantitatis ab οὐσίᾳ.

13. *Intelligibilia* (*νοητὰ*) ſunt Simplicia vel Compoſita.
14. *Simplicia ſunt* quibus cognoſcimus ipſam eſſentiam rei, & quid res ipſæ ſint.
15. *Compoſita* ſunt, in quibus ineſt affirmatio vel negatio: Seu ſunt ipſæ Enunciationes.
16. *Compoſitio* hæc eſt duplex: In quibuſdam enim eſt affirmatio vel negatio tantùm unica. In quibuſdam plures affirmationes vel negationes componuntur diſcurſu.
17. *Diſcurſus* eſt Illativus vel Ordinativus.
18. *Illativus* Ratiocinatio dicitur.
19. *Ratiocinatio* eſt Neceſſaria vel Contingens.
20. *Habitus neceſſariarum* ratiocinationum ſeu collectus è neceſſariis ratiocinationibus dicitur Scientia.
21. *Hæc quomodo* in mente efficitur?
22. *Reſp. Facultas agens* 1. *phantaſmata* patienti facultati impreſſa elaborat, & ſenſilem materiam accidentiaq; ab ipſa *οὐσίᾳ* ſeparando ex *αἰσθητοῖς* facit *νοητὰ*. 2. Actu *νοητὰ* affirmatione & negatione componit. 3. Inter affirmationes & negationes diſcurrit, eas neceſſitatis ratione contexit, eoque modo in patiente mente per phantaſmata ſcientiam efficit.

XXIX.

De Omnipotentia: hoc eſt, Infinita potentia Dei.

VIDE mihi, quàm inquies ſit hominum ingenium, quàm inquietæ cogitationes.

Quæſtiones moverunt Scholaſtici Theologi de Dei omnipotentia, è quibus quædam ſunt ſcrupuloſæ, curioſæ, ſupervacaneæ: quædam ineptæ etiam & abſonæ, vel, Eraſmi Roterod. judicio, impiæ, ut:

An Deus poſſit quodvis malum, etiam odium ſui præcipere: & omne bonum prohibere: etiam amorem & cultum ſui.

An

An poſſit actu infinitum ſecundùm omnem dimenſionem producere.

An ſupra ultimum cœlum potuerit vel etiamnum poſſit creare infinitum.

An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere quàm fecit: vel

An potuerit facere melius & perfectius quod fecit, quàm quomodo fecit.

An potuerit creare mundos alios.

An poſſit facere corpus ſine ſubjecta materia.

An poſſit facere, ut accidens aliquod revera exiſtat abſq; ſubjecto in quo fundetur: ut (exempli gratia) accidentia panis poſt deſtructionem ſubſtantiæ ejus revera permaneant.

An poſſit facere, ut creatura ſit abſq; omni accidente.

An poſſit producere hominem, qui peccare nullo modo queat.

An revelare poſſit alicui ſuum futurum peccatum aut damnationem.

An poſſit aliqua diſtinctè intelligere: ſi ad illa non habeat diſtinctas relationes rationis.

An poſſit reſpectum ſeu relationem producere ſine fundamento & termino.

An poſſit naturam univerſalem producere & conſervare ſine ſingularibus.

An omnipotentia Dei etiam poſſit agere in non Ens.

An Deus poteſtatem creandi poſſit communicare cum creaturis.

An poſſit ex facto facere infectum, & per hoc ex meretrice facere virginem.

An quælibet perſona divina poſſit quamlibet naturam aſſumere.

An potuerit mundus Deo reconciliari ſine interventu Mediatoris Dei & hominis.

An hæc propoſitio ſit poſſibilis: Pater Deus odit Filium Deum.

An hæc propoſitio: Deus eſt ſcarabeus aut cucurbita: tam poſſibilis ſit, quàm hæc: Deus eſt homo.

φθέγξομαι (canit Orpheus) οἷιν θέμις ἐστὶ: θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι. Fas quibus eſt audire loquar: vos, turba profana, obturate fores.

Missis otiosis, ine[illegible] & cum impietate aliqua conjunctis quæstionibus; ad reliquas discutiendas ratio omnipotentiæ, piis Deiq; timentibus animis benè percipienda est. Hic igitur navis nostra leni provectione, aura secunda feratur inter duos scopulos, quorum uterque sapienter cauteq; declinandus est.

Crimen in excessu est: nec non defectus aberrat.
Sed verum, medium qui tenuere, tenent.

Error in excessu est, dicere, Deum ideo esse omnipotentem, quòd simpliciter & sine ulla exceptione, quæcunq; dici cogitariq; possunt, sive mala sive bona sint, sive aliis aut sibi non repugnent, sive contradictionem implicent, eadem etiam possit efficere.

Error in defectu est dicere, Deum non alia de causa vocari & esse omnipotentem, nisi, quia quæcunq; vult, potest, perinde ac si non latius pateret Dei potentia, quàm voluntas, vel tantùm nostri respectu Deum dici infinitæ potentiæ, nimirum, quòd nos non valeamus ejus finem definire. Media inter has extremas sententia vera est hæc: Deum esse omnipotentem: quia & quæcunq; vult potest, & innumerabilia etiam potest velle & facere, quæ nunquam neq; volet neq; faciet. Et omnium in se ipso suarum actionum habet potentiam & virtutem. Interest enim & nostræ pietatis & Dei immensitatis cogitare omnia magnifica, ingentia, immensa de ineffabili Dei omnipotentia. Ac omninò humanum captum & ambitum & fastigium Dei virtus excedit. Hoc igitur arctè teneatur: Deus ita omnipotens est, ut plura possit, quàm velit effecta dare. Quia potest etiam velle quæ non vult efficere. Potest autem Deus gloriosus OMNIA. *Primò:* Quæ non pugnant cum Dei proprietatibus ESSENTIALIBUS: Quæ non evertunt ejus naturam, ut constantiam, veritatem, sapientiam, bonitatem, nec tollunt ejus gloriam. Quæ si admittantur, non sunt à DEFECTU potentiæ, seu quæ non arguunt potius Impotentiam quàm Potentiam. *Secundò:* Quæ non pugnant cum Dei proprietatibus personalibus. *Tertiò:* Quæ rei quæ Deus non est, non repugnant, seu quorum NATURA rei capax est. *Quartò:* Et ut ἁπλῶς, id est, universè dicam: quæ non implicant contradictionem. Sicut in parte summæ Theologicæ prima quæst. 25. articulo 3. & 4. ait Thomas: ea quæ contradictionem implicant, sub divina potentia non continentur.

R Breviter:

Breviter: Deus potest omnia quæ non sunt contradictoria: ea scilicet potest, quorum capax est:
- *Deus: quæ non pugnant cum ejus proprietatibus*
  - *Essentialibus.*
  - *Personalibus.*
- *Natura sine hujus eversione.*

Omnia igitur his contraria non potest. Verbum (non posse) absit à calumnia. Breviter: *Deus potest facere omnia quæ fieri possunt: & Deus non potest facere impossibilia.* Itaque sic quoque piè possumus dicere: Ea quæ sunt ἀδύνατα, non ideo dicuntur ἀδύνατα, quòd fieri non possint divina potestate: sed ideò potius non possunt fieri divina potestate, quia sunt impossibilia, id est, quia sunt repugnantia in se, & contradictionem involvunt. ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Verùm hæc exemplis declaremus. Primùm, Deus non potest peccare, mentiri, dormire, ambulare. Sunt inquam Deo hæc in sua οὐσίᾳ simpliciter ἀδύνατα, & tamen est omnipotens. Quia illa posse est imperfectionis, impotentiæ, defectus potentiæ, & repugnant Dei naturæ immutabili. Non verò posse mentiri & peccare, incomparabilis Dei perfectionis argumentum sunt. Si Deus posset peccare, posset à se ipso deficere, quod absurdissimum. Hinc Bonaventura sermone 35. *Nihil omnino est quod non possit Deus, quod potentiæ sit.* Deus non potest sedere, ambulare & dormire, quia hæc dicunt, id est, arguunt Defectum potentiæ & Necessitatem Indigentiæ. Ideo enim indiget animal ambulatione, quia non potest esse ubique, sive indiget somno, quia virtutes in eo sunt finitæ & παθητοὶ, id est, patibiles. Etsi autem Deus non possit sedere vel ambulare in sese, potest tamen effectivè: facit enim me & te ambulare & sedere. Ac licet Filius Dei ambulaverit in his terris: tamen non in natura seu essentia Deitatis, sed in carne assumpta ambulavit. Deus non potest se in nihilum redigere aut mori, quia hæc contra naturam simpliciter immortalem & incommutabilem Dei sunt. Dominus non potest facere quin sit justus, verax, sapiens, bonus, & tamen est omnipotens: Quia negatio & sublatio bonitatis, justitiæ, veritatis & sapientiæ est Dei essentiæ, negatio & destructio, ἡ γὰρ τῶν ἰδιοτήτων ἀναίρεσις ἐστι φύσεως ἄρνησις, sublatio essentialium proprietatum est naturæ negatio & abolitio, Theodor. Dial. 3. Secundò, pater nō potest esse filius, nec filius pater, & tamen neq; filius neq; pater desinit iccirco esse omnipotens.

Patrem enim gignere, non gigni, filium gigni, non gignere, ſunt proprietates προσωπικαὶ, id eſt, perſonales: quibus perſonæ inter ſe diſtinguuntur. Tertiò: Deus nõ poteſt facere, ut natura angelica vel animus hominis, vel corpus aliquod ſit actu infinitum; propter REI repugnantiam: & tamen eſt omnipotens: Quia non ut ſubjectum recipit in ſe adjunctum, ſic creatura in ſeſe capax infiniti eſt: & creatura abſq; terminis eſſe nequit propter naturæ creatæ propriam & perpetuã ac immutabilem conditionem, qua à creatore diſcriminatur hanc: FINITUM eſſe. Creatura, Damaſceno teſte de fide orthod. cap. 8. non poteſt eſſe coæterna Deo: Neq; enim quod ex non eſſe ad eſſe traducitur, CAPAX eſt, ut coæternum ſit ſuo principio: Etſi non neſciam quoſdam è Scholaſticis diſputare, non repugnare naturæ mundi, ut ſit Deo coæternus. Memorabilis eſt ſententia cujuſdam è recentioribus Doctoribus Scholaſticis: Communicavit quidem Deus creaturis eas perfectiones quas conditio creaturæ ferebat: Eas verò quæ ſuperant ſtatum & conditionem creaturæ (hoc eſt, quæ creaturam non ſinunt eſſe creaturam) non debuit nec potuit communicare. Neq; enim fieri poteſt, ut creatura ſit vel infinita virtute prædita, (hoc eſt, ſit ſubjectum *in quo* ſimpliciter infinitæ δυνάμεως) vel incauſata vel inde pendens, ac (ut quidam putant) Deo coæterna. Quod autem non poſſit res facere ſibi coæternas, hoc manifeſtiſſimè indicat ſummam excellentiam Dei, cui nulla creatura aut in eſſentia & perfectione, aut in virtute & actione, aut in vita & duratione par & æqualis eſſe poteſt. Hactenus D. Scholaſticus. Natura quidem humana finita, eſt capax infiniti τοῦ λόγου per inhabitationem, unionem, κοινωνίαν perſonalem: Sed non recipit in ſe, ut ſubjectum inhærentiæ, proprietates τοῦ λόγου. Propria enim non egrediuntur ſua ſubjecta: Et res creata non poteſt infiniti propria in ſuam eſſentiam citra ſui abolitionem ſuſcipere. Quartò: Deus non poteſt facere ut trigonus ſit trigonus, & tamen non habeat tres angulos, vel ut habeat ſimul tres angulos, & nõ tres angulos, ut quod eſt, dum eſt, non ſit, ut, quæ facta ſunt, ſint nõ facta: & tamen de omnipotentia Dei nihil detrahitur: quia hæc manifeſtè contradicunt, vel contradictionẽ implicant. Adde quod poſſe hæc, ex diametro pugnat cũ Dei immota veritate & ſapientia, imò etiam labefactat omnipotentiam ejus. Non poſſe hæc, non eſt in Deo ἀδυναμία, ſed potius excellentia & immenſitas δυνάμεως, quæ nõ patitur Deũ à veritate, rectitudine & natura ſua diſcedere.

At enim, inquis, Deus omnipotentia ſua poteſt facere ut duo verè contradictoria ſint ſimul vera. Ergo poteſt facere ut factum ſit non factum: vel ſi hoc non poteſt: Deus non eſt omnipotens.

Reſp. 1. Non poteſt velle Deus, ut duo verè contradicentia ſint ſimul vera. Et dicere, quod hoc poſſit, eſt ludificari Deum & homines, & omnem in rebus divinis & humanis veritatem ac certitudinem convellere. Dicere Deum poſſe velle vel facere contradictoria, eſt non feneſtram, ſed decumanam portam fanaticis & hæreticis aperire. Lex igitur de contradictoriis eſt regula judicii non tantùm humani, ſed etiam divini IMMOTA: quod non ex Melanchth logica tantùm piè aſſerimus, ſed ipſa etiam veritas nobis dictat. Deus enim qui eſt αὐτὸ ἀληθές, id eſt, ipſiſſima veritas, non miſcet ea quæ ſunt, & quæ non ſunt. Deus qui immutabiliter verax eſt, nec vult aut volet in ſempiternum, ut quod eſt, dum eſt, non ſit, hoc eſt, ut affirmatio ſit negatio, & ita veritas evertatur.

2. Præclarè ſanè Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. *Quiſquis dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat ut quæ facta ſunt, non facta fuerint, non videt hoc ſe dicere, faciat ut quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint.* Non eſt profectò veritas Dei committenda cum Dei omnipotentia: quia Deus ſecum ipſe non pugnat.

3. Nec ullum unquam Deus θαυματουργὸς edidit miraculum, quo idem verum & non verum eſſe, quo actu aliquid eſſe, idemq́; ſimul eodemq́; tempore non eſſe declararet. Tanta igitur eſt contradictionis firmitas, ut nulla vi labefactari poſſit. Itaq; ex contradictionis decreto immutabili pronunciandum eſt, cum quæritur: An Deus poſſit contra ordinem ac tenorem Naturæ à ſe inſtitutum quidvis facere. Exempli cauſa, an poſſit facere ut ignis ſit ignis, & tamen non habeat οὐσίαν, & interiorem ac formalem δύναμιν ignis ſcilicet θερμαντικήν. An corpus, quâ corpus, neceſſariò habeat terminos internos.

Reſp. per diſtinct. Lex & ordo naturæ talis eſt, ut ejus tranſgreſſio ac violatio vel inferat vel non inferat contradictionem, pugnantiámve, ut loquuntur, in adjecto (qua phraſi intelligitur, attributum repugnare naturæ ſubjecti.) Si infert contradictionem, Deus non poteſt non ordinem naturæ ſervare. Idq́; fit non vitio aut imperfectione Dei, ſed rerum ipſarum conditione & natura: intellige, quòd res non ſint capaces

paces hujus vel illius. Si contradictoriam pugnam non infert: Lex ordoq; naturæ, Dei potentiâ potest superari. Ut: Deus non potuit facere, ut forma hominis essentialis esset, ut loquuntur, asineitas, seu homo esset absq; animo, prædito vi intelligendi: ut corpus, quâ corpus, nullam haberet dimensionem: ut triangulum esset figura quadrangularis: quia contradicunt: Hominem esse, & tamen esse rationis expertem, seu absq; animo vi intelligentiæ prædito: Corpus esse, & tamen nullam habere dimensionem: triangulum esse, & tamen nõ esse triangulum, sed quadrangulum. At Deus potuit nos sine filii missione & incarnatione servare: potuit suscitare de lapidibus filios Abrahæ: Potuit facere ut ignis in fornace Babylonica non ureret tres sanctos viros, etsi in alia vim suam & actionem explicaret: Quia inde nulla existit pugna ἀντιφατική, & ignis se ad præscriptum & ordinationem ac voluntatem Dei accommodat, ita ut natura ejus & ordinatus modus agendi non destruatur. Sed & distinctio tenenda est inter Potentiam Dei Absolutam & Hypotheticam: quo modo etiam voluntas ejus distinguitur. Etsi enim una sit revera & simplex Dei voluntas & potentia: tamen est ejus duplex ratio, consideratio, respectus. Uno modo consideratur secundùm se & in se absolutè: Altero modo ex hypothesi: Verbi gratia: ut subest certæ ordinationi & legi divinæ, qua Deus constituit quid velit facere. Absoluta potentia est, qua Deus potest simpliciter quicquid in genere seu ordine entis fieri potest. Hac Deus facere potest & potuit infinita etiam quæ non vult, & quæ non decrevit facere. Potentia verò conditionalis seu Hypothetica est, qua Deus potest, quæ constituit, vel per se ipsum solum, vel per causas secundas, vel per se unâ cum causis secundis juxta conditionem earum facere: qua potest quæ vult facere, vel ordinariè vel extra ordinem, & non potest, quæ liberè non vult, imò liberrimè. Hac igitur pro bonitate, sapientia & ordinatione sua volens multa non potest, quæ aliâs simpliciter ei impossibilia non sunt. Ad potentiam hypotheticam, quæ & actualis dicitur, qua operatur tantùm Deus quæcunq; vult, pertinet potentia Dei Ordinaria, de qua Scaliger exerc. 365. sect. 8. *Ordinaria potentia est absoluta pars. Una enim in Deo est potentia.* Et omninò quicquam in Deo ponere, quod non sit absolutum, & quod non sit ipse Deus, impium est. Neq; ordine disponitur aut distringitur ejus potentia, sed ipse ordinis autor est: cujus

Potentia Dei duplex.

ordinis necessitas omnis ab eo pendet. Ipse in rebus ordinem præfixit per sapientiam & bonitatem. Ordinata igitur potentia Deus quædam non potest, quatenus est & manet volens sub regula & lege hac, quæ absolutam potentiam moderatur, nimirum sub sapientia & bonitate. Hæc declarabimus exemplis: Potest suscitare filios Abrahæ Deus de lapidibus voluntate absoluta, quod tamen facere noluit. Potuit Deus pater fieri homo, si voluisset, sed nō voluit. Absoluta igitur potentia potuit, quia non evertit hoc ejus naturam nec implicat contradictionem. Non potuit potentia hypothetica & ordinata, seu τεταγμένη, quia pugnat cum decreto voluntatis suæ. Deus non potest me facere Pontificem Romanum. Ex hypothesi enim non potest Deus facere, quæ non decrevit se facturum. Potuimus absoluta Dei δυνάμει redimi per mediatorē, qui non esset θεάνθρωπος: sed non erat hoc decens, nō congruebat hoc divinæ sapientiæ & ordinationi. Congruebat μεσίτην Dei & hominum esse Deum & hominem. Potest filius Dei assumptam à se naturam deponere potentia absoluta: At non poterit ea, quæ est ἐξ ὑποθέσεως, quia semel placuit Deo, filium assumpta carne in æternitatem omnem manere fratrem nostrum: id amplius ei displicere nequit, ideo non potest non nobis esse secundùm carnem germanus & ὁμοούσιος. Potuit quidem Deus (ut & potest & poterit) creare mundos alios *potentia absoluta, qua Deus omnia potest quæ velle potest*. Sed non fuit optimum. At summum bonum Deus semper quod optimum est vult, quod per sapientiam cognoscit. Non igitur potuit creare mundos alios *ordinaria potentia, qua potest quæ constituit & decrevit*. Potest & potuit Deus melius seu perfectius facere hoc & illud, quam fecit ex immensitate potentiæ suæ absolutæ nobis absconditæ. At ex bonitate & sapientia sua summa, quā diximus esse potentiæ regulam, res perfectiores creare non potuit. Scalig. potest semper etiam facere aliquid melius, quatenus intelligimus id posse rectè ordinari ad ipsam Dei bonitatē, tanquam ad finem optimū. Deus qui infinitus est, nō potest facere essentia & virtute infinitū, neq; absoluta neq; ordinaria potentia. Faceret enim alium Deum: faceret sibi æquale aliud: & ita naturā Unitatis suæ everteret. Nihil autē infinito æquale esse potest. Et Dii duo, infinita duo realia, nequeūt esse nec in natura nec extra naturā. Essent enim duo principia prima. Et quàm necessariò Deus est, tam necessariò unus est. Et quod antea dixi, res nō potest esse subjectū δεκτικόν seu capax infinitatis. Pulcrè utrāq; causam conjun-

git Sca-

git Scaliger his verbis: Deus cum facere nõ poſſet mundum infinitum poteſtate æqualem ſibi, fecit ævo infinitum, ſimilem ſibi. Cœlum igitur finitum magnitudine ac poteſtate dicendum eſt: proprerea quòd alium Deum Deus facere nequit. Feciſſet autem, ſi feciſſet infinitũ poteſtate. Icciroo infinitum ævo fecit. Quæ ſola poterat evenire rei creatæ perfectio, quam icciroo infinitatem finire poterit is, qui potuit dare quando volet, ſicut voluit. Hæc Scaliger. Non igitur poteſt Deus ſupra ſummũ ſeu ultimum Cœlum facere creaturam verè & ἀτρεκέως infinitam. ἀδύνατον, εἶναι φύσιν ἐκτὸς τῶν φυσικῶν ἰδιωμάτων: fieri nõ poteſt, ut natura conſiſtat, ſublatis naturalibus proprietatibus, inquit Damaſcenus: Intellige ordinata potentia fieri nequire. Quicquid eſt creatum, δυνάμει, id eſt, poteſtate, tale eſt, ut poſſit ex quolibet fieri quodlibet reſpectu omnipotentiæ Dei abſolutæ, qua Deus omnia, quæ ſimpliciter δυνατά ſunt, facere poteſt, etiamſi nõ faciat omnia, ut, poteſt ex aqua fieri ſanguis, & aqua ex ſanguine: Imò aliquid ex nihilo. Deus enim nõ eget ullius materiæ, ut nec temporis, ut in actum ſuam potentiam redigere poſſit: Quo ipſo maximè infinita abſolutiſſimaq; ejus potentia comprobatur. Deus poteſt ſalvare Judam proditorem, Chriſti potentia abſoluta: Sed ordinata non poteſt. Quia à ſapientia ejus lex emanavit univerſalis, cujus eſt conſervator, non everſor. Omnis in vitæ extremo non converſus ad verum Deum, qui Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, damnabitur. Seu: Quicunq; perſeveraverit ad finem uſq;, ſervabitur. Ergo, à contrario ſenſu, ut loqui ſolet vulgus logicorũ: Quicunq; non perſeveraverit ad finem uſq;, in damnatis, abjectis & ſemel perditis erit. Si omninò decrevit Deus te facere principem virum, ordinata potentia hoc poteſt: ſi non: ordinata potentia non poteſt. Poteſt autem abſoluta.

Sic ſententiarius Nicolaus de Orbelles (in compendio in ſententias) licet Deus potentia abſoluta, qua poteſt quidlibet, quod non includit contradictionẽ, poſſet cacodæmonibus dare gratiam: nec poteſt tamen potentia ordinata, quæ eſt illa, quæ cõformis eſt in agendo regulis prædefinitis à divina voluntate, quales ſunt: Ignis eorum non extinguetur. Ibunt in ſupplicium æternum. Vide Auguſtinum de civitate Dei, 21.

Anshelmus in libro, Cur Deus homo, ſentit neceſſe fuiſſe genus humanũ reparari per paſſionem Chriſti, ita ut non potuerit reparatio iſta fieri per merã ſeu nudam creaturã. Sed Scotus exiſtimat, aliter potuiſſe

λύτρωσιν

λύτρωσιν fieri, seu nos redimi, quàm per Christi θεανθρώπου mortem. Sic Augustinus lib. 13. de Trinitate: Alius modus redimendi hominem, Deo non defuit, cujus potestati cuncta subjacent. Anshelmi sententia vera est, intellecta de Dei potentia ordinata, & necessitate Convenientiæ seu Congruentiæ ac lege divinæ sapientiæ: Scoti verò & Augustini de potentia & necessitate Absoluta.

Sed redeamus ad veterem Scholasticum Nicol. de Orbell. 15. distinct. 10. quæst. 2. tertii, Deus, inquit, ex potentia ordinata non potuit non dare summam gratiam Naturæ unitæ verbo: Ex Absoluta verò potuit non dare.

Hinc quæstio expediri potest: An Deus id solum possit facere, quod ab æterno decrevit, se aliquando, nempe in tempore facturum? Respondetur enim per distinctionem potentiæ divinæ. Deus id solum potest facere, quod ab æterno decrevit se aliquando facturum, scilicet potentia ex hypothesi limitata. Deus non solum id potest, &c. scilicet potentia absoluta & simpliciter illimitata: liceat enim mihi uti hic terminis Scholasticis.

Ex his hoc quoq; intelligitur: Multa esse impossibilia, quæ tamen Deus posset facere, si vellet, impossibilia scilicet non simpliciter, sed ex hypothesi propter constantem ac immutabilem decreti & voluntatis Dei veritatem.

Utilis quoq; hæc est distinctio. Dei potentia est operationis seu actionis vel internæ, vel externæ. Internæ seu immanentis: qua in se ipso ab omni æternitate egit & agit. Hæc non potest non ἐνεργεῖν, id est, operari, seu hæc operatur necessitate immutabilitatis eâ, quæ dicitur τῶν ἀϊδίων, id est, æternorum. Si enim non ἐνεργεῖ, ut si non intelligit se ipsum, poterit etiam efficere ne sit Deus: quo quid magis absonum, ne quid dicam gravius. Externæ seu transeuntis, qua extra se liberrimè in principio temporis, & tempore, quod pars definita æternitatis infinitæ est Bodino, operatus est, & etiamnũ operatur, & operari, si velit, innumera potest. Sic Deus potest creaturas omnes prorsus in nihilum redigere, propriè ita dictũ, potentiâ absolutâ (sicut potuit eas creare potentia, quæ ex hypothesi est) sed non potest illud potentia respectiva, seu ordinaria & actuali, quia repugnat hoc sapientiæ, gloriæ & bonitati ejus. Itaque neque redegit, neq; rediget unquam ullam creaturam in

omninò

omninò ſimpliciterq; nihilum. Cum enim Chriſtus mutabat aquam in vinum, aqua actu peribat quidem, ſed non redigebatur in nihilum, non deſinebat eſſe aqua potentiâ. Etſi igitur mundus finem ſit habiturus incendio, tamen non in nihilum ſimpliciter redigetur, ſed novum ei cœlum ſubibit.

Scaliger tamen exerc. 61. ſect. 5. eſt in hac ſententia: Etiam cœli materiam incendio conſumptum iri, ita, ut ſicut ex nihilo cœlum factum eſt, ſic in nihilum quoq; ſit rediturum, (quod Græcis eſt οὐδενοῦσθαι, & ex nihilo novum exoriturum, nobis δύσφραστον, imò inexplicabile. Ad externam Dei actionem pertinent, quæ Deus ut agens liberrimum & omnipotens, ſupra ordinem vel naturæ vel ſacri miniſterii facit κατ' οἰκονομίαν ſeu diſpenſationem. Hæc dicuntur miracula & opera Dei extraordinaria, ut ſunt converſiones aquæ in vinum, aquarum Ægyptiacarum in ſanguinem, baculi Moſis in colubrum, actionis ignis in fornace Babylonica ſuſpenſio. Hæc ſunt actualis Dei potentiæ & ordinatæ, quatenus per diſpenſationem hæc Deus facit, conſtituit & ordinavit. Sed poteſt & alia innumera captum noſtrum excedentia edere miracula potentia abſoluta, quæ tamen nec edidit nec editurus eſt unquam. Non eſt autem argumentandum ab Abſoluta potentia Dei ad voluntatem & actum: alioquin Omnipotentia ſeu omnipotens vis Dei, operculum erit multarum falſarum opinionum: Sicut omnibus temporibus inventi ſunt, qui commenta & ſomnia ſua (liceat mihi loqui paulò acriuſculè) venditarunt & propagarunt velo Omnipotentiæ: quibus nobis non convenit eſſe ὁμοφώνοις.

Quæ diſſerui de Dei immenſa Potentia, nullam prorſus patiuntur labefactationem ex eo, quòd Deus à ſanioribus Philoſophis dicitur expers δυνάμεως ſeu Potentiæ. Intelligunt enim non facultatem δραστικὴν καὶ ἐνεργητικήν, id eſt, virtutem activam, ſed Potentiam παθητικὴν ſeu paſſivam, gratia cujus res ſunt mutabiles & aliuſmodi. Hanc potentiam dicunt in Deum non cadere: quæ ſententia ſuſtinet ſe ipſa. Scilicet Deus non poteſt fieri, affici, alterari, ſeu variari & mutari. Eſt, ut Platonis divini Philoſophi verbis utar, μονοειδὴς uniformis. Eſt καθ' αὑτὸ ὡσαύτως κατὰ πάντα ἔχον, id eſt, ipſum per ſe ipſum ſimiliter eodem modo habens, quod οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῶς μεταβολὴν, ἢ ἀλλοίωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται, id eſt, nunquam ullo modo ullam

mutationem & alterationem recipit: Eſt ἀπαθὴς, ἀμετάβλητος, ἀτεϱπίασος, nullum ſentit τροπῆς ἀποσκίασμα: eſt ἀναλλοίωτος καὶ ἄτρεπτος. Non cadit in eum neq; acceſſio, neq; deceſſio, neq; juventus, neque ſenectus. (Hæc omnia Platonica ſunt.) Vegeta & ſapiens ratio negationis, potentiæ paſſionis in Deo hæc eſt: Quæ in potentia patiendi verſantur, habent prius & poſterius, nec non aliquid imperfectionis. Quod æternum eſt, ut Deus, nihil habet prius & poſterius: nihil habet imperfectionis. Ergo abeſt à Deo potentia patiendi.

In Deum non cadit ætatis χέσις, neq; junior eſt neq; ſenior.

Hinc poteſt peti ratio: Cur Deus non poſſit mutari à non eſſe in eſſe, ab eſſe, in non eſſe, mori, ſeipſum deſtruere: Nempe quia non poſſunt in Deum cadere, quæ arguunt in eo potentiam quandam paſſivam. Nihilo ſecius eſt, & manet in omnem æternitatem ſummus αὐτοκράτωρ & παντοκράτωρ, qui per ſe poteſt omnia, & in omnia habet imperium, ad cauſas ſecundas non adſtrictus.

At enim dicat ſimpliciter aliquis: λόγος ὑποστατικὸς, qui Deus eſt, quomodo ſit invariabilis ſeu ἀναλλοίωτος, cùm propriè, non æquivocè, qui ſplendor eſt paternæ lucis, ſacræ literæ tribuant ei ταπείνωσιν, ſummiſſionem, exinanitionem, paſſionem?

Hîc diſtinctio adhibenda eſt Nazianzeni in Orat. 1. de lege, ἄλλος μὲν φύσεως, ἄλλος δὲ οἰκονομίας λόγος. Diſtinctio hæc rationis eſt. Quod Filius Dei humiliaſſe & exinaniviſſe ſe dicitur, hoc ad οἰκονομίαν incarnationis, aſſumptionem humanitatis & uſum Majeſtatis, non ad naturam ipſam ſeu eſſentiam τοῦ λόγου referri debet. Summiſit ſe in carne, humiliavit ſe, ut à patre miſſus, ſeu quatenus filius à patre datus, eſt Deus in carne patefactus. Exinanivit ſe primùm aſſumendo humanitatem, formam ſervi accipiendo. Deinde aſſumpta jam humanitate, in ea enim diſſimulavit & occultavit ad tempus μορφὴν θεοῦ, gloriam, potentiam & majeſtatem divinam, quæ poſtea declarata, revelata & manifeſta facta eſt hominibus, præcipuè per reſurrectionem, nulla interim in natura θεότητος deminutione facta: ſemper enim filius, quâ filius, eſſentiali, æterna & infinita potentia Patri æqualis eſt, nunquam minor, quia pater & filius ejuſdem prorſus & ſimpliciter immutabilis naturæ ſunt. Quod ad paſſionem attinet, non divinitas, ſed Filius Dei paſſus eſt, quia caro patiens, & cujus ſolius naturaliter propria eſt paſſio, ipſius (Filii Dei) propria eſt, & non nudi duntaxat hominis. Paſſus igitur eſt filius

Dei per κοινωνίαν ἰδιωμάτων (id est, prædicationem, qua proprium unius naturæ tribuitur personæ ab altera natura denominatæ) seu κατ᾽ ἄλλο, id est, secundum carnem tantùm. Athanasius in sermone majore de fide apud Theodoretum 3. Dialogo: Ut lux non læditur in obscuro loco: Sic vita pati non potest sustentans naturam mortalem. Nam divinitas verbi mortalitatis & alterationis expers est: Sicut per Prophetam inquit Dominus, Malach. 3. Considerate me, quod ego sum, & non mutor. De quo non est quod pluribus agam, παρὰ μέλος enim foret.

Hanc autem sententiam de infinita Jehovæ Dei nostri potentia teneo, ac piam esse, & congruere cum Catholicæ Ecclesiæ & Christianorum Philosophorum sententia statuo: paratus tamen inducere & corrigere, si quid à me dictum esse vel ipse, vel monitus, quod commodiùs dici & dexteriùs explicari potuit, animadvertero.

Summa. CONFITERI DEUM ESSE & negate omnipotentem: Contraq; , confiteri Deum esse, & affirmare eum posse, quæ IMPOTENTIÆ & imperfectionis sunt: utrumq; apertissima est insania.

EPEISODIUM.

Non congruit divinæ potentiæ, quæ omnia facere potest, ut aureola virginitatis corrupta coronetur. Quia hoc esset contra Dei justitiam. lib. 1. de probationibus, pag. 92. Fulvius Pacianus.

XXX.

De Intellectu adepto: Quid sit? &, An intelligat?

QUid sit Intellectus adeptus, de quo Philosophi agunt, θεωρητὸν est. Id ut intelligas, nota hanc tabellam.

- **Intellectus est**
  - *Potestate, seu patiens, qui intelligendo fit cuncta spiritaliter per cognitionem & imitationem. Hic consideratur, ut est*
    - *Omninò potestate.* In pueris.
    - *Est habitu præditus (Dum & informatus.)*
      - *Contemplandi* (θεωρητικὸς)
        - *Imperfectè.*
        - *Exactè.*
      - *Agendi.* In sapiēte dormiente. (πρακτικὸς.)
      - *Efficiendi.* (ποιητικὸς.)
    - *Simul habitu & actu.* In sapiente contēplante.

Agens, qui reddit ea quæ ſunt intelligibilia poteſtate, intelligibilia actu (ut lumine coloris redduntur actu viſibiles, qui extra lumen conſtituti ſunt poteſtate aſpectabiles) & ſpecies enudat.

Intellectus habitu contemplandi præditus imperfectè, dicitur Intellectus contemplans abſolutè. Qui verò exquiſitè ſeu exactè (Græcè ἀκριβῶς) habitu contemplationis præditus eſt, dicitur Adeptus. Quia adeptus eſt univerſam perfectionem (cujus quidẽ noſtra natura in hac vita capax eſt) ejus facultatis, cujus officium eſſe diximus, νοητὰ δυνάμει facere νοητὰ ἐνεργείᾳ. Sed de Intellectu Adepto, quẽ vocant, Philoſophi quanta frivola invexere ait Scaliger, & quidem verè ait, exer. 107. ſ. 19.

Ad naturam autem ejus intelligendam melius illud facit, quod ſcribit exer. 307. ſect. 21. Ita uniuntur ſpecies intellectui, ut unum fiant. Ac tunc abſq; ulla repræſentatione intelligit. Is eſt ille intellectus adeptus, de quo ſuprà dicebamus, cui omnia præſtò ſunt ſine diſcurſu. Iccirco citharædi manus præſentiſſima ſibi eſt ad opus ſine ulla mentis agitatione. Dubium hìc incidit: Intellectum intelligere dicis. At Ariſtot. 1. de anima context. 65. non animam, ſed hominem per animam intelligere aſſerit. Reſp. Idem etiam Ariſtoteles 3. de anima, context. 1. ait: De particula animæ, quæ anima intelligit. Et in contextu 4. ait: Intellectum intelligere cuncta. Quæ igitur eſt conciliatio? Hæc eſt: Ariſtoteles nunc conſiderat Principale principiũ, quod eſt anima: nunc agens totum & adæquatum, quod eſt homo. Sic honeſtæ probæque actionis cauſa ſeu principium eſt homo, animus, virtus: Animus agendi principium princeps: Virtus, ratio rectitudinis, ſeu id per quod actio dicitur recta probaq;. Homo virtute præditus eſt principium completum, ut cum Piccolomineo loquar, & adæquatum. Diſtingue inter principium Quod & Quo. Homo eſt intelligens, ut Quod: Intellectus, ut Quo. Vide Zabarellam lib. de mente humana cap. 13.

Solutio ἐνστάσεως.

XXXI.

An Accidens ἴδιον eſſentiale, poſſit abeſſe re ſalva?

Negatur.

ἴδιος ἀναπόδεικτος cum ἐνδείξει qua

A*Ccidens eſſentiale eſt, quod eſſentiam ſubjecti conſequitur, vel potius comitatur.* Per eſſentiam interdum tota ſubſtantia intelligitur. Tale eſt viſibile à colore, lux à corpore lucido manans. *Hoc non poteſt*

non

non inesse, sed necessariò & per se inest. Zabarella 1. poster. Analyt. Comment. ad contextum 52. *Adeò ut ne mente seu cogitatione quidem divelli à subjecto possit: tam firmo nexu ei cohæret.* Non solùm existere corpus lucidum non potest sine luce, visibile sine colore; sed neque imaginari sine contradictione possumus, corpus lucidum non habere lucem, visibile non esse coloratum. Essentiam enim corporis lucidi (ut solis) insequitur lux: visibilis, color. Quare dum cogitamus corpus lucidum aut visibile, rem habentem lucem aut colorem cogitemus, necesse est. Propria oculi facultate sublata, ne quidem amplius suum nomen verè obtinet oculus. *Talia accidentia sunt propria reciproca, non communia. Communia enim etsi dari possunt quæ reipsa non possunt separari à subjectis: quamobrem Inseparabilia ea dicuntur, possunt tamen abjungi cogitatione:* hoc est, possumus imaginari subjecta esse sine illis: ut corvus, quamvis nunquam dicatur esse sine nigredine, imaginari tamen possumus sine contradictione eum non habere nigredinem. Non dico SIT; sed, dicatur esse: Nam Aristoteles corvos aliquando candidos videri tradidit, sed ut rarissimum quiddam, 5. c. 6. de gen. animal. inde proverbium: corvo rarior albo. Et J. Bodinus narrat, se vidisse ab extrema Insula Thule advectos in Angliam corvos candidissimos rostro, pedibus, oculis, pluma: voce tamen, gestu, pastu, gressu, figura cæteris corvis quàm-simillimos.

habet περὶ τα-σιν seu θέσιν.

Contentio seu illustratio à comparat. dissimil.

Approbatio à communi testimonio Philosophorum, cum περιλήψει, qua habet ἀντιπερίστασιν seu antithesin & ἔνστασιν Adversarii.

Hæc sententia non nova, sed vetus est, & sua antiquitate nobilis, ac omniũ rectè philosophantium mentibus altissimè insedit: & tamen eam impugnare atque oppugnare non veretur Heitzo Buscherus, quam quidem tum demum expugnabit, cum arx veritatis jacebit, hoc est nunquam.

Sententiæ nostræ confirmatio aliâs dicta est. Nunc confutabimus *ἐνστάσεις* Adversarii, sumptas seu petitas ab elemento aqueo & homine. 1. Aqua essentialiter frigida est, & tamen frigus ab aqua, salva hac, abjici & abesse potest. Expellitur enim ab arctuosissimo & efficacissimo agente externo, igne, & succedit calor, qualitas contraria. 2. Et ab hominibus mutis abest hominis proprium. Ergo quædam propria essentialia abesse possunt à subjecto præter hujus corruptionem. In fasciculo controvers. quæst. quæst. 4. pag. 86.

ἀπόδιωξις (rejectio.)

Error Adversarii hinc est, quod non est ingressus Philosophiæ penetralia.

Detectio ψεύδους πρώτου & confutatio.

tralia, ubi didicisset, esse distinguendum inter *Proprium & Actum proprii: Inter propria, quæ insunt* φύσει, *& quæ insunt* ἐνεργείᾳ. Ita igitur res habet, ut docet Schegkius in 5. Top. ad locum 25. *Quæ verè & propriè propria sunt, semper inesse oportet.* Sed diverso modo. Quædam enim ex his ipsis insunt simpliciter, ut τῇ ἐνεργείᾳ, id est, quatenus insunt subjectis actu. Sic proprium ignis est esse summè calidum: Cœlestium continuè in orbem moveri. Quædam insunt subjectis φύσει (natura) seu quòd respectu eorum dicuntur πεφυκότα. Ut 1. Proprium aquæ est, esse primò frigidam & humidam nō simpliciter, sed determinatè, nempe φύσει, seu propter φύσιν: Id est, aquæ secundùm naturam affectæ, semper inest frigus actu: sed præter naturam affectæ, calor inest actu, frigus potentiâ naturaq;, propter, seu per quam potest aqua talis redire ad actum, id est, ἕξιν frigiditatis. 2. Proprium omnium hominum est, capax disciplinæ, si determinatur Naturâ. Actu enim multi sunt non capaces propter naturalem quandam vel ἐπιγινομένην, hoc est, adventitiam impotentiam, ut furorem, delirium. 3. Omnium hominum in hac naturæ corruptione proprium est, non ut simpliciter, sed ut naturâ sint filii iræ. 4. Omnibus hominibus inest propriè, ut sint ἥμεροι φύσει, seu politici κοινωνικοί & sociabiles naturâ, etsi quidam eligant vitam solitariam, & fugiant hominum consuetudinem, in quibus φύσις & potentia non traducitur ad actum. 5. Animal dicitur potentiam habere seu πεφυκός esse, ut sentiat: Quæ κατὰ φύσιν δύναμις, proprium est πάθος animalis. Horum propriorum actus pro perfectè reciproceq; propriis haberi nequeunt. Hinc ἐνέργεια, id est, actus, Sentire, accidens proprium animalis à Peripateticis dicitur, sed quod καθόλου ratione, subjecto animali non insit; quia non semper sentit (*actu*) ut in naturali somno, in sopore, qui narcoticis herbis & pharmacis conciliatur, in ecstasi. Nam Narbonensis quidam Nobilis à piratis Turcarum captus, sopore Narcoticorum conciliato, sine ullo sensu doloris castratus fuit. Et Hermotinus Clazomenius sæpe abreptus in ἔκστασιν ab hostibus sine ullo sensu & motu cæsus est: testibus Plutarcho & Solino.

Hieronymus ille Cardanus tum de seipso, tum de Friccio patre confitetur, in fine libri de rerum varietate, animis se abreptos extra corpus fuisse, ut nullum omnino dolorem in eo statu vulneribus illatis sentirent. In talibus, φύσιν adhuc reliquam esse hinc patet, quòd qui

narcoticis herbis & medicamentis in soporem projecti sunt, deinde medicamenti vi operationeq; evanescente à somno excitati sunt: Et Joannes Dunesius (Duns eum vocare solet Scaliger) Franciscanus, quem vulgò Scotum vocant, cùm ecstasin aliquando passus esset, omnibus sensibus atq; etiam cordis ipsius motu, qui quidem animadverti ab hominibus possit, spoliatus, pro mortuo elatus ac sepultus, eodem tamen momento quo terra obruebatur, conflictari cadaver cœpit, & membra collidere feretro; quod Libidinarii sentientes, semimortuum ac palpitantem fovea detrahunt: Sed jam effuso sanguine & cervice confracta seriò animam ejecit, sicut repetit hoc ex Historia Joannes Bodinus. Unde bis mortuus esse dici potest. Primùm imperfectè: deinde perfectè. De hoc Scoto, ut aliquid παρέργως adspergam, antequam naturaliter mortuus esset, sepulto, aliquando hoc feci distichon:

Ante obitum feretro portor tumulandus: in ipso
Crede mihi, vivens heu perii tumulo.

Et:

Hic SCOTUS *in tenebris jaceo, tumulatus in alvo*
MATRIS, *adhuc vita cùm super aura foret.*

Ut igitur redeam, unde sum digressus: *Animalis proprium est ut secundùm naturam habens possit sentire*: etiamsi ipsum effectum interdum non sequatur. Propria enim, ut dixi, determinata Natura, seu quæ naturâ insunt, non semper insunt actu. Actu insunt, quamdiu subjectum secundùm naturam habent. Ergo semper & non semper. Semper: cùm subjectum secundùm naturam habent: non semper: ut cùm subjectum præter naturam habent. Ut Animal perfectum semper φύσει masculinum aut fœmininum est: ut plurimùm; non semper actu, quia hermaphroditus seu androgynus est, cum habet seu affectũ est παρὰ φύσιν. Ut igitur instantias opponentis, in Topicis Aristotelis hospitis, excludam: Proprium illud hominis, capax sermonis, adstringo definioq; Natura: ut capax disciplinæ: & dico actum loquelæ abesse à nonnullis (quanquam ii pauci sint) singularibus hominibus, idq; per accidens & præter naturam conveniente nihilo: Proprium illud aquæ (Frigidum) determino (ut cum Schegkio loquar) limitatione Naturæ, & dico, cùm frigida (φύσει) aqua fit calida (παρὰ φύσιν) aquam non Proprio, sed Actu Proprii Privari: Et, licet Actus frigiditatis possit permutari con-

trario

trario actu caliditatis, ſalvo ſubjecto, aqua: φύσιν tamen, hoc eſt, naturam ipſam & κατὰ φύσιν ita habere, contrario permutari non poſſe: Sicut poſſe dormire proprium eſt animalis, quo diſtinguitur à non animali, non autem actu dormire, qui actus poteſt permutari contrario, quod eſt vigilare & non dormire (actu:) Potentia autem dormiendi, contrario, abſoluta impotentia dormiendi, permutari non poteſt. Poteſt quidem in animali eſſe vigiliarum privatio. Verùm ea privatio non eſt perfecta, ſed imperfecta, non eſt ſimplex & ὁλικὴ, id eſt, ex toto, ſed κατά τι (ſecundùm quid) & μερικὴ (ex parte) id eſt, ea privatio non eſt actus, & potentiæ ſimul, ſed actus tantùm privatio, & ita impotentia quædam actualis: ſicut cæcitas illa qua non modò actus, ſed etiam potentia ſubjecti perimitur, & oculi οὐσία interit, perfectiſſima privatio eſt: itaq; in ea eſt irrecuperabilis & potentia & actus. Cæcitas verò ea, quæ opponitur viſui, ut morbus ſanitati, imperfecta privatio eſt: quia in ea eſt adhuc integra oculi eſſentia, & actus tantùm à ſubjecto abeſt, ideoq; contrario habitu, viſu, permutabilis eſt.

Rectè igitur & ſapienter Melanchthon, Frigus aquæ non ad 4. prædicabile Proprium, ſed ad quintum Accidens, & quidem ſeparabile refert. Quia aqua non eſt perpetuò & immutabiliter actu frigida: quo accedit & hæc cauſa, quòd frigus (ut à Melanchthone accipitur) non ſoli aquæ, ſed etiam terræ convenit: quod contra naturam proprii eſt, ut quod uni ſoli conveniat.

Jacobus verò Schegkius & hunc ſecutus M. Flac. Illyr. uterq; autem Ariſtotelem, imò verò veritatem ipſam, ad proprium πάθος, adhibita hac moderatione, quòd aqua πρώτως ſemper frigida ſit τῇ φύσει ſeu κατὰ φύσιν, & tradita hac regula ex Ariſtotele: *Cauſa potentiæ, quædam rebus ſubjectis propriè dicuntur ineſſe, quatenus ſcilicet ſubjecta ſunt* πεφυκότα (apta, nata) ut capax diſciplinæ, & ſermonis, homini: poſſe dormire, aut vigilare, animali: poſſe nutriri ſeu indigere nutrimento, animato: poſſe primo nutrire, animæ vegetanti.

Itaq; concludo diſputationem hanc ſic: τῇ φύσει proprium πάθος non poteſt à re ſubjecta abeſſe citra ejus corruptionem: Loqui poſſe, natura proprium πάθος hominis eſt. Ergo, τῷ πεφυκέναι proprium πάθος non poteſt abeſſe à ſubjecto hoc incorrupto. Primò frigidum eſſe eſt aquæ τῇ φύσει ſeu τῷ πεφυκέναι proprium πάθος, non actu. Ergo abeſſe ab

aquæ

aqua non potest nisi corrupta & abolita aqua, inq; aliud corpus transmutata, seu: ut barbari nostri Philosophi, qui delicatè sapere nolunt, loqui solent, transelementata seu transsubstantiata. Accidens separabile, non est πάθος proprium essentiale: Frigus est accidens aquæ separabile Buschero nostro. Ergo frigus non est πάθος aquæ proprium essentiale. At Buscherus hanc negantem conclusionem in affirmatam commutat, affirmat enim frigus aquæ esse ejus proprium πάθος essentiale. Ergo necesse est castiget assumptionem, modò nolit majorem negare, & ita sapientior esse omnibus Philosophis.

Propositio major, communis Philosophorum vox est: Itaq; etiam Buscheri esse debet, ni velit sibi dicam ab iis scribi, *proprium & subjectum se mutuo tollunt: neq; alterum ab altero segregari potest: quodcunq; tolli & separari à re aliqua potest, non est ejus proprium.* Non igitur obtinuit adversarius, quædam πάθη propria essentialia re abesse, incorrupto manente subjecto contra Goclenium: qui statuit ea oriri & aboriri simul cum subjecto, hoc est, iis peremptis in subjecto, necesse esse ipsum quoque subjectum aboleri: Quod Magistro excercitabundo à Magistro olim problematico, nunc apodictico, fuit demonstrandum.

Συμπέρασμα

XXXII.

Q. An Abstractio sit omnium disciplinarum communis?

PEtrus Ramus ad Element. 5. lib. 1. Geom. habet duo pronunciata ἐναντιοφανῆ. 1. Aphæresis est communis omnium artium, non Geometriæ propria.

2. Tota aphæresis Geometrica est Logica.

Hic R. non diffidet secum ipse.

Aphæresis enim communis est omnium disciplinarum, itaque etiam physicæ: quia omnes disciplinæ à logica per abstractionem generalium à singularibus fabricatæ sunt. Et Aphæresis Geometrica est logica, quia Geometria generalia tantùm præcepta è logica lege κατὰ παντὸς explicat.

Sic Optice non docet, Sæpe viso singulari cervo, remanet in animo fixa forma universalis, qua percipiuntur omnes individui cervi: Sed: E visibili sæpius viso remanet in animo generalis notio, qua quodlibet visibile percipitur & cognoscitur. Vitell. 3. p. 61.

Sic leges ſunt de univerſo genere. Jura, inquit Ulpianus, non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.

Sic Medicus non docet, quid huic vel iſti ſingulari homini ægrotanti, ſed quid omnibus hoc aut illo morbo laborantibus, potioni dandum ſit.

Singularia enim infinita ſunt. Univerſalia finita.

At tamen eſt quædam abſtractio, quæ puræ Matheſi cum Phyſica communis non eſt.

Quod ut intelligatur, ſicajo cum Philoſophis cognomento Scholaſticis.

Intellectus noſter expers materiæ eſt. Itaq; objectum ſcientiæ debet eſſe aliquo modo ſaltem à materie abſtractum.

Triplex autem eſt rei à materia χωρισμὸς ſeu abſtractio. Prima & ſecunda eſt propria. Tertia eſt minus propria.

Prima igitur abſtractio tantùm eſt à materia ſingulari: ut: qui dicit Animal vel Hominem, ſignificat ea quidem κεχωρισμένα ſeu abſtracta ab hoc vel illo corpore, & ab his vel illis oſſibus: non tamen à corpore & oſſibus ſimpliciter. Qui dicit ſimum, dicit curvitatem ab hoc vel illo naſo (ut individuo) abſtractam: ſed non ſimpliciter abſoluteq; à naſo (ut genere.) Itaq; præter abſtractionem hic πρόσθεσις ſeu concretio quædam ſpectatur. Talis eſt abſtractio phyſica.

Secunda aphæreſis rei à materia eſt, cum ſingulari, tum etiam univerſali, non quidem κατὰ πρᾶγμα, (ſecundum rem ſeu naturam rei) ſed tantùm κατὰ λόγον καὶ γνῶσιν (ſecundum rationem & cognitionem:) ut: licet magnitudo vel figura non poſſit phyſicè exiſtere niſi in cœlo, elementis compoſitis: poteſt tamen ſine his cognoſci & conſiderari. Hæc abſtractio excludit concretionem στερητικῶς & definitè. Talis eſt Arithmetica & Geometrica. Geometres enim ajens, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, conſiderat per ſe triangulum, non quatenus eſt in corpore, vel hoc corpore. Arithmeticus dicens: duo, tria, quatuor, utitur numero formali ſeu ſimplici, ſeu abſtracto, qui forma quædam per ſe eſt. (At cùm dicis: quatuor homines, quinq; coronati, numerus eſt materialis, id eſt, cum & in materia quadam.)

Tertia aphæreſis ſeu ſeparatio eſt abjunctio rei à materia tam ſecundum rem, quàm ſecundum rationem. Hæc igitur eſt puriſſima, excluditq;

cluditq; concretionem negativè & simpliciter. Itaque convenit in Deum, ut essentiam suapte natura à materia abjunctam. Estque Metaphysica ἀφαιρέσεως.

XXXIII.

An universale nihil sit nisi opus intellectus?

MUlti, ut Thomas, statuunt universalia, exempli causa, animal, hominem, bovem, nihil esse, præter opus mentis nostræ. (χύδην ἐννόημα τὸ ἀνυπόστατον.) Alii contrà docent esse Realia, hoc est, res extra intellectum. Quidam incedunt media inter hos via, statuentes, universale quidem fieri ab intellectu, & Ens esse rationis, quatenus mens aufert accidentia circumstantia omnia: at nihilominus tamen esse in natura res universales pluribus communicabiles: Universalia consideratione quidem & propter prædicationem esse in anima, at reipsa existere in singularibus: seu Generum essentiam & veritatem in singularibus consistere, etsi concipiantur mente. Itaq; abstrahentis & generaliter considerantis genera non est mendacium. Hanc sententiam nos quoque tuemur cum Jacobo Carpentario, Scaligero, Ramo & aliis.

1. Dici de aliquo requirit inesse. Prædicatur de Catone homo. E. alterum in altero inerit, id est, humanitas in Catone erit.

2. Definitio nota rerum est extra animam. Universalia autem definiuntur. E. res sunt extra animam, non tantùm ἐννοήματα & ὄντων ὁμοιώματα ac rerum signa.

3. Si universalia non sunt realia, non erunt scientiæ, sed figmenta: quando in singularibus consideravero quod nusquam & nihil est. Non consequens. Neq; igitur antecedens.

4. Si homo esset tantùm abstracta notio ab individuis, esset accidens. Notiones enim accidentia sunt. Scalig. exercit. 6. sect. 4. At non hoc. E. nec illud. Assumptum probo. Si homo esset accidens, prædicatio esset accidentalis: Cato est homo. At non hoc. Est enim essentialis. E. nec illud. Cùm, inquit Carpentarius, Socratem hominem esse dicimus, aliquid, opinor, Socrati attribuimus, quod illi revera inest, idq; non accidens. Quoniam genus hoc enunciandi valdè ab illo

 differre

differre volumus, quo Socratem album esse dicimus. Si verò Socrati substantiæ cujusdam sit attributio, cedo, an individuæ? Minimè, opinor: Alioqui homo de Socrate, ut communius de angustiore non enunciabitur: & affirmare Socratem esse hominem, perinde erit, ac si Socratem Socratem esse dicas: Quo quid absurdius in philosophia cogitari potest? Si verò homo de Socrate ut communior essentia de individua verè dicitur, illam igitur essentiam Socrati cum aliis communem in ipso Socrate & aliis esse oportebat.

5. Enunciatio ex eo vera dicitur, quia in ea cum re subjecta id consentit, quod oratione explicatur, teste Aristotele. De Socrate & Platone secundum essentiam verè enunciatur homo. Ergò humanæ essentiæ communio quædam sit in Socrate & Platone necesse est.

6. Aristoteles lib. 1. poster. Anal. cap. 24. Genus universum in omnibus singulis rebus contineri affirmat. Ergò non est positum in nuda solaq; animi notione, sed consistit in rerum natura, à singularibus tamen non separatum. Ac notanda est comparatio hæc: Sicut in interiore sensu non est ipsa substantia, ut Socrates, sed hujus imago tantùm: Sic neque in intellectu substantia universalis est, quæ naturæ communio est in multis, sed ejus sola notio, ut Aristoteles inquit 8. cap. 3. de anima. Necesse est aut res ipsas esse in animo, aut certè earũ species. Non ipsæ quidem certè. Neq; enim lapis est in animo, sed ejus species. Verùm rem brevibus thesibus comprehendemus.

1. Nobilis disputatio est, sitné Homo substantia, an tantùm notio communis in intellectu. Et si substantia, an extra singularia, ut Catonem, Socratem, subsistat?

2. Hìc quod nobis videatur, breviter edisseremus.

3. Homo communiter convenit & attribuitur Aristoteli & Platoni.

4. Ergò secundum nomen tantùm, vel secundum etiam rem nomini subjectam.

5. Non illud est: quia Homo præter nomen etiam naturam seu οὐσίαν & definitionem suam Aristoteli & Socrati communicat.

6. Hoc ergò erit.

7. Si non tantùm nomen Hominis, sed etiam res nomini subjecta communiter attinet ad Aristotelem & Socratem, hæc ergò res erit substantia aut accidens.

8. Non

8. Non accidens. Quia homo ineſt & attribuitur Socrati ſecundum eſſentiam, non ut ſubjecto accidentaliter: & attributio hæc, Socrates eſt homo, longè differt ab iſta: Socrates eſt homo doctus, cùm inter Socratem & hominem ſit nexus eſſentialis.

9. Subſtantia igitur.

10. Quoniam ſubſtantia eſt: aut non niſi ſingularis ſeu numerabilis, id eſt, ipſum individuum, ut hic homo: aut univerſa erit.

11. At non individuum & hoc aliquid. 1. Quia individuum eſt incommunicabile. Homo verò eſt quiddam communicabile. 2. Quia tunc Socratem eſſe hominem, perinde fuerit, ac ſi diceretur: Socrates eſt Socrates, quod ſanè abſurdum & nugatorium.

12. Univerſa igitur eſt ſubſtantia.

13. Quoniam univerſa: nunc de modo ſeu ratione ſubſiſtendi quæritur.

14. Univerſa ſubſtantia (ἐξ ὑποθέσεως) aut ſeparatim exſiſtit & ſeorſum à ſingularibus: aut in rebus ſingulis ſeu harum communione.

15. Si ſeorſum: aut per ſe & in ſe ipſa ſubſiſtet: aut in mente tantùm.

16. Sed non per ſe (extra ſingularia) & in ſeipſa. Talis enim homo nuſquam gentiũ reperiri poteſt. Et ſi eſſet, ſub ſenſum ſaltem aliquem caderet. Deniq; cur in philoſophiam inducatur, ratio nulla eſt. Λόγος autem καὶ αἴσθησις veri & ficti falſiq; κριτήρια ſunt.

17. Nec in mente. 1. Quia non ſubſtantia, ſed notio ſubſtantiæ: (quæ non eſt ipſa ſubſtantia, niſi ſubſtantiam & accidens confundere, vel unum & idem ſubſtantiam & accidens eſſe dicere velimus) eſt in mente. Ut enim ſenſus interior non res ipſas ſingulas recipit, ſed earum imagines: Sic nec intellectus rerum communes eſſentias continet, ſed notiones tantũ, per quas illæ nobis contemplantibus obverſantur. (Quo ſenſu credo dixiſſe Ariſtotelem in lib. de animo. Univerſalia eſſe πῶς, id eſt, quodam modo in anima. Ratio enim ſeu intellectus non poteſt formare ſubſtantias. Scal. exer. 307. ſect. 23.

18. Relinquitur igitur, quod in cauſa eſt: Hominem in ſingularium communione revera exiſtere & eſſe ens potius naturæ (ſed univerſale in multis) quàm rationis, quale eſt ἐννόημα hominis quod eſt in intellectu tuo, & dicitur univerſale poſt multa. Cæterùm univerſale ante multa non eſt hujus loci. Id eſt, καθολικὸν ſeu univerſale omnium

rerum principium ſeparatum ab aliis rebus, extra omnia individua creata revera exiſtens, αὐτοαγαθὸν, ipſum Bonum, primum bonum, per cujus participationem omnia bona dicuntur bona, videlicet Deus; Unde etiam ἀρχέτυπος, & ἀρχηγὸς, Idea dicitur. At cur Ariſtoteli cap. 5. lib. de anima. Res univerſæ ſunt quodammodo in anima? Reſpondetur. Univerſalia ſecundum perfectionem eſſentiæ exſiſtunt & conſiſtunt tantum in communione rerum ſingularium, non tanquam in alio, ut in ſubjecto, accidentium more, ſed tanquam in ſe ipſis, id eſt, ut ea quæ rerum ſingularium eſſentiam conſtituunt & continent. In intellectu verò eſſe dicuntur quodammodo per aliud, hoc ipſo ſcilicet quòd eorum eſſentia in communione rerum ſingularium verè exiſtens intellectui repræſentatur per notionem tanquam per imaginem. Notio illa à ſingularibus cogitatione abſtracta in intellectu ut affectio in ſubjecto ſuo recipitur. Ecquo modo verò συμφωνεῖ ταῦτα; (conſentiunt hæc) Ariſtotel. Metaph. 10. cap. 2. Genera, inquit, ſunt præter res ſingulas. At idem lib. 1. de cœlo cap. 9. præter rem ſingulam aliquid ſumere non poſſumus. Reſpondent interpretes. Genera ſunt in notione & conceptione, non in exſiſtentia, præter res ſingulas. Et præter rem quandam ſingulam aliud quiddam non poſſumus cogitare aut ſumere in rerum exiſtentiâ, hoc eſt, quod ſit hypoſtaſis quædam extra individua. Sic habes dictorum quandam συμφωνίαν.

XXXIIII.

Ipſo PULCRO auſpice:
Ejuſq; GRATIA comite:

Theſes de Pulcritudine & Gratia, pulcris ingeniis pulcerrimarum artium ſtudioſis excutiendas proponit R. G.

καλόφιλος.

Reſpondit de iis Lubertus Sartorius Caſſellanus.

UT pulcrum eſt φιλητὸν (amabile) oculos inprimis paſcit, ſuaviter afficit ac demulcet animos, ſuiq; in eis deſiderium commovet: Sic inceſſit me admirabilis propè cupiditas de Pulcritudine diſputandi.

2. Pulcrum igitur (ut priùs nominis ipsius usum cognoscamus) est idem quod habens laudatam speciem, præclarum, græcè καλὸν, quod Proclus ἀπὸ τοῦ καλεῖν deducit, quia ad se vocet seu invitet.

3. Κόσμος ἐστὶ καλὸν ποίκιλμα τέκτονος σοφοῦ ait Græcus, id est: Mundus est præclarum seu pulcrum opus, magna varietate distinctum à sapiente architecto.

4. Sed & græcum & latinum etiam bonum & honestum significat.

5. Veteres speciatim quoq; pulcrum pro forti dixerunt.

6. Fuit enim, inquit Scaliger, πολύχειρ quasi multas habens manus.

7. Virg. 7. Æneid. *Satus Hercule pulcro* (id est forti) *pulcer Aventinus* (id est fortis.)

8. Pulcrum increatum est vel factum.

9. Pulcrum increatum simplicissimè & eminentissimè pulcrum est αὐτὸ καλὸν ipsum pulcrum, fons pulcri (cujus participatione omnia pulcra sunt & dicuntur pulcra) quod ex seipso satis est ad omnia, quod ubiq; semper omninò potest oblectare, Deus Opt. Max. Scalig.

Pulcrum per eminentiam.

10. De hoc præclarè Plato, quantus Deum immortalem Philosophus, philosophatur.

11. Factum est soboles & imago illius (ipsius Boni & pulcri) radius & splendor divini solis in rebus variis vario modo fulgens.

12. Itaq; qui pulcrum aliquid admiratur, suspicit, amat Deum, in eo fulgentem suspicit. Plato.

13. Factum est pulcrum absolutè vel secundum quid.

14. Absolutè, ut semper & quibusvis benè affectis & perfectè (ea perfectione quæ in creatam rem cadere potest) ut Mundus, Sol.

15. Secundum quid, ut cuipiam, alicubi, aliquando, aliqua ex parte, non exactè.

16. Facta pulcritudo est analogica, vel magis propriè dicta.

17. Analogica est Mentis vel Orationis: quæ rationis comes & ministra est.

18. Pulcritudo mentis est Sapientia & Virtus.

19. De hac Plato in Protagora: Quod est sapientius, id est pulcrius.

20. Et versus hic: O quàm rara anima est monstroso in corpore pulcra.

21. Hæc mentis acie judicatur: sicut animi tantùm oculis notari potest.

teſt: quòd ſi, ut eſt, cerneretur, mirabiles ſui amores excitaret.

22. Magis propriè dicta pulcritudo eſt corporea.

23. Corporea corporis eſt Naturalis vel artificioſi, quale eſt veſtis, ædificium. Naturalis vel animati, vel inanimi.

24. Itaq; percipitur primò ſenſu exteriore, viſu (auditum addit Piccolomineus propter vocem εὐάρμοστον, ſeu propter perceptionem congruentis rationis inter voces, acutam & gravem.) Deinde phantaſia & ratione.

25. Hujus definitio inquirenda eſt. Averroi in 7. phyſ. Pulcritudo (corporis) eſt proportio inter partes medias & extremas. Aliis: commenſuratio partium inter ſe & ad totum.

26. Sic Ariſtoteles 3. Top. τὸ κάλλος τῶν μελῶν τὶς συμμετρία δοκεῖ εἶναι, pulcritudo membrorum ſymmetria, id eſt, convenientia ſeu condecentia quædam eſſe videtur.

27. Sed craſſiuſculè ibi loquitur Ariſtoteles. Scalig.

28. Nam pulcritudo eſt qualitas quædam ex illa ſymmetria.

29. Symmetria verò ſeu commenſus non eſt qualitas, ſed in categoria relationis.

30. Ut aptitudo navis ad portandum & vehendum eſt qualitas ex commenſu partium, non autem ipſa convenientia: Et ut ſanitas non eſt proportio qualitatum, ſed ex iis conflata conſtansq; certa qualitas: Sic pulcritudo non eſt ſymmetria, ſed qualitas inde exiſtens.

31. Petro Fonſecæ, viro acutiſſimo, ut ſanitas non eſt qualitas aliqua ſimplex & inſenſibilis, quæ ex humorum debita proportione ac temperamento reſultat, ſed eſt ipſum temperamentum, quod ex humoribus conſtat: quò facit, quòd Cicero 5. Tuſcul. ait, corporis temperatio, cum ea congruunt inter ſe, ex quibus conſtamus, ſanitas eſt: Sic pulcritudo non videtur eſſe ſimplex qualitas. Conſtat enim ex apta figura, hoc eſt, naturæ rei conſentanea & ſuavi colore uno aut pluribus. Hinc à Cicerone pulcritudo definitur apta membrorum figura, (id eſt conformatio) cum coloris quadam ſuavitate.

32. Mihi tamen, ut ratione ſuppoſiti & facultatis ejus ægritudo eſt διάθεσις ſeu affectio præter naturã: ſic ſanitas quoq; videtur eſſe diſpoſitio ſeu affectio ſecundum naturam, ad ſpeciem qualitatis pertinens. Contraria enim in eadem ſunt categoria.

33. Re-

33. Rectiùs igitur ex sententia Aristotelis in 1. Philosophia definitur pulcritudo perfectio compositi ex congruente ordine, mensura & ratione partium consurgens. Piccolomineus grad. 8.

34. Seu, qualitas ex modo quantitatis, temperatura qualitatum, & partium situ conveniente conflata.

35. Itaq; delectans poëtices lib. 4. Pulcritudo, inquit Scaliger, est sua cujusq; partis primum, deinde partium commissatum temperamento oriens qualitas.

36. Hæc comprehenditur sub Relativa bonitate, quæ est naturæ quædam congruentia. Scalig. exer. 307.

37. Non tamen inficior, utrumq; dici posse, modò rectè accipiatur: Pulcritudinem esse symmetriam, sive congruentem rationem partium, seu harum inter se consensionem, seu partium convenientiam: & esse aliquid ex ea consurgens: Sanitatem esse naturalem symmetriam seu rectam rationem partium, & aliquid ex ea resultans.

38. Pulcritudo enim à symmetria seu congrüente commensuratione ordine & terminis distinguitur sola ratione.

39. Vera igitur est hæc: Pulcritudo est symmetria in sensu causali (non in formali & proprio) id est, quia symmetria est causa synectica pulcritudinis.

40. Sic Scalig. lib. 4. Poëtices: Quia conveniunt partes corpus pulcrum est: Igitur pulcritudinis causa convenientia est.

41. Quod Aristoteli 7. physicorum pulcritudo ut & sanitas dicitur in relatione posita, ut congruente omnium partium corporis proportione, convenienteque qualitatum constitutione: In temperamento & symmetria primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, sicci, quod & antè Hippocrati, & pòst Galeno placuit: id accipio similiter, nempe causaliter.

42. Ut ex actione consurgit voluptas tanquam perfectio ejus: Sic ex ordine, commensuratione & terminis justis pulcritudo. 10. enim Ethicorum idem philosophus pulcritudinem voluptati proportione respondentem facit.

43. Adde quòd ibidem Aristoteles sanitatem, pulcritudinem, nominat corporis virtutes & habitus. Virtutem verò perfectioné quandam esse ait (illius quod eâ informatur.) Qualitas igitur fuerit.

44. Ac ut virtute informari est rei perfectio: sic sanum & pulcrum esse perfectio corporis fuerit.

45. Nec tamen nego ad aliquid se pulcritudinem (ut & sanitatem) quodammodo habere, quia σχέσιν seu respectum qualitatis ad qualitatem in corpore declarat.

46. Non enim est absurdum idem distincta ratione sub distinctis prædicamentis constitui. Aristoteles in Categor. Qualitat.

47. Sic habitus, virtus, qualitas est animæ vel corporis, & tamen quodam modo habet se & refertur ad aliud, nempe vel ad objectum, vel ad habentem, vel ad utentem seu operantem. Vide Zabarellæ Tabul. Logic. pag. 24.

48. Quòd autem pulcritudo propriè non sit ipsa symmetria, sic ostendo:

49. Pulcritudo est sensilis, id est, sensu percipitur.

50. Symmetria à sensu non apprehenditur, sed illud ipsum, in quo est. Id patet satis à luce in coloribus, cujus temperationis non solùm oculus ignarus est, sed ne intellectus quidem gnarus. Scalig. exerc. 300. sect. 2. Ergo pulcritudo non est symmetria.

51. Artificiosæ pulcritudini subjicitur fucata. Pertinet etiam ad eam καλλιγραφία.

52. Porrò pulcritudo est perfecta vel imperfecta.

53. Perfectæ potissimùm convenit definitio antè allata. Definientes enim præcipuè id quod perfectissimum est inspicere debent, cùm id sit cæterorum mensura, ut ait Piccolomineus. Sic definientes demonstrationem præcipuè primariam spectamus. Vide Zabarell. de speciebus, seu potiùs gradibus demonstrationis.

54. Ejus comes aliquando est Gratia, seu Venustas. Quæ pulcritudinis perfectio dicitur.

Cicero dicit, pulcritudinis duo sunt genera, quorum in altero venustas est, in altero dignitas.

55. Quanquam Gratiæ partes quidam faciunt Venustatem & Dignitatem. Illa muliebris magis: Hæc virilis.

56. Catullus verò poëta venustatem pulcritudinis seu formæ facit. Totum illud formosa nego: Nam nulla venustas, Nulla in tam magno corpore mica salis.

57. Gratia est externus rationis fulgor, ac jucunda seu amabilis dexteritas,

teritas, concinnitasq́; motuum & actionum è pulcritudinè corporis & animi consurgens.

58. Sic cum gratia ambulamus, ridemus, loquimur.

59. Distingui eam à pulcritudine hinc patet, quòd puella aliqua dici potest pulcra aspectu, destituta tamen gratia. Et uvæ propriè gratia non tribuitur, etsi à Cicerone nihil ea aspectu pulcrius esse dicatur: & minimè formosa virgo dici potest agere omnia cum lepore, venustate, gratia.

60. Imperfecta pulcritudo est, cùm deest ὡρισμένον, congruens magnitudo, definita moles, etsi assit τάξις & συμμετρία.

61. De hac intelligatur quod Aristoteles dicit 3. cap. Eth. Homines brevis statuæ venustos quidem & lepidos esse, aptaque membrorum commensuratione præditos, sed non pulcros.

62. Ad pulcrum movemur propter privationem aut Unionis appetitum, qui excitatur à naturæ similitudine manifesta vel occulta.

63. Opposita est pulcritudini deformitas (quæ interdum etiam turpitudo dicitur) vitium materiæ, & recessus à forma.

XXXV.

Eadem disputatio de Pulchro & Gratia, paulò aliter informata:

Resp. L. Sartor.

OMne pulchrum sua natura est amabile, & nemo est qui pulchrum non amet: ideoq́; nobis quoque pulchrum erit de pulchro disputationem instituere.

2. Pulchrum idem est quod præclarum, vel habens speciem, quod Græci καλὸν dixerunt, vel ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, quod permulceat intuentes, vel, quod verius est, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ, quia provocet, invitet & alliciat ad se omnes.

3. Omnia enim, quæ pulchra sunt, habere eam vim, ut conspecta illicò omnium sibi voluntatem concilient, amoremq́; adjungant, nemini nisi communis sensus experti ignotum est: quapropter scitè Aristoteles interrogatus, quì fieret, ut pulchra tam facilè ab omnibus amarentur, cæci eam esse interrogationem respondit.

4. Καλὸν autem apud Græcos & bonum, & honestum, & pulchrum signifi-

significat: & ἀγαθὸν, quod nunc bonum significat per initia pulchrum designabat: Sic pulchrum pro forti etiam veteres: neque temerè, fuit enim pulcher πολύχειρ. Scal.exerc.300.sect.3.

5. Pulchrum est Increatum vel Creatum.

6. Increatum est simplicissimè & eminentissimè pulchrum, αὐτοκαλὸν, ipsum pulchrum, fons ipsius pulchri, quod ex seipso satis est ad omnia, quod ubiq;, semper, omninò potest oblectare. Tale est Deus Opt. Max. Scal. d. exerc.300.s.4.

7. Hujus eminentissima trinitas est ipsum Unum, ipsum Bonum, ipsum Pulchrum: quæ tria etsi re idem sunt, ratione tamen differunt: quapropter etiam Plato, Unum, Bonum, Pulchrum, ita juncta esse censuit, ut unum sine altero reperiri non posse existimaverit.

8. Hæc trinitas est principium omnium,& cætera sunt proles ejus.

9. Quàm felix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit, ut ipsum pulchrum intueatur, syncerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum, sed ipsum secundum se pulchrum divinum inspiciat.

10. Per umbras autem illud cernimus, & per umbras ad verè illud pulchrum excitamur: tunc autem pulchrum illud licebit videre clarissimum, quando cum beato illo choro felicem visionem, contemplationemq; inchoabimus: ubi pulchrum illud cives illius Reip. beabit præsentia visionis suæ.

11. Evenit tamen frequenter, ut umbræ nos decipiant: quod præsertim illis accidit, qui mysteriis non initiati, ut potiùs depravati viventes vitam sensuum in umbris tanquam in veris formis persistunt, easq; judicant summum illud pulchrum, ac illas quasi ultimum finem amplectuntur & colunt. Piccolom.grad.8.c.35.

12. Pulchrum autem cùm sit splendor, admirationem excitat: ideò Deus ut pulcher, admirationem, amorem & desiderium in omnibus parit.

13. Creatum pulchrum est soboles & imago ipsius pulchri & boni, est splendor divini Solis in rebus variis vario modo fulgens: proles enim servare debet characterem sui parentis, & præ se ferre specimen aliquod ejus.

14. Propterea unumquodq; quò pulchriùs, eò debet censeri meliùs,

eoq;

eóq; existimari debet generosior proles primi parentis: quicunq; pulchrum appetit, latenter nihil appetit, nisi Deum, qui fons est pulchrorum omnium, ut ait Fr. Pic. grad. 8. c. 35.
15. Hic splendor è sententia Platonicorum fulget. 1. in mentibus Angelicis. 2. in anima totius & reliquis animis. 3. in natura. 4. in materia corporum.
16. Hoc pulchrum est Pulchrum absolutè aut secundum quid.
17. Absolutè pulchrum est, quod perfectè & semper, & quibusvis benè affectis pulchrum est, ut lux. Vide Basil. Hom. 2. & Bened. Perer. in Danielem.
18. Secundum quid pulchrum est, quod cuipiam, alicubi, aliquando, aliqua ex parte pulchrum est.
19. Ad hoc pulchrum moveri nos ait Scaliger propter unionis appetitum, qui excitatur à naturæ similitudine manifesta vel occulta, aut propter privationem, veluti cibus famelico vel è secundario pane pulchrior est quàm montes aurei, & Sol ipse. exerc. 300. s. 4.
20. Porrò creata pulchritudo est vel Naturalis vel artificialis.
21. Naturalis est mentis, vel corporea.
22. Mentis pulchritudo est fulgor in doctrinæ & virtutum concinnitate. Ut enim corporis est quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate, quæ pulchritudo dicitur: Sic in animo opinionum, judiciorumq; æquabilitas & constantia, cum firmitate quadam & stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. Cicero 4. Tusculan.
23. Hæc autem animi lineamenta pulchriora sunt quàm corporis. Hinc verè Plato: Quod est sapientius id est pulchrius.
24. Hanc pulchritudinē sola mentis acie comprehendimus: propterea oportet, ut in nos revocemur ac avocemur ab externis, si verè pulchrum hoc inspicere optamus. Hanc pulchritudinem qui expetit, solo mentis intuitu contentus est: quam si oculis corporeis inspicere cōtingeret, Deum immortalem, quàm illa ardentes sui amores excitaret?
25. Hinc Seneca eleganter epist. 116. Non est ornamentum virile, inquit, concinnitas: Si nobis boni viri liceret animum inspicere, ô quàm pulchram faciem, quàm sanctam, quàm magnificè lucideq; fulgentem eam intueremur.

26. Sed quid opus eſt, ut corporeis oculis inſpiciatur? cùm inſpici valeat oculo mentis præſtantiore mille oculis corporeis, & propterea in eo, qui mentis acie non eſt captus, affectus parit, non ſolùm admirabiles, verùm qui nec explicari nec mente quidem concipi queant.

27. Hæc pulchritudo ſæpè pulchritudini corporis reſpondet, & in corpore obliquo anima recta raro reperitur.

28. Corporea pulchritudo competit vel corporibus vel rebus ad corpus pertinentibus, ut veſtibus, &c. Jure tamen his ſolis propriè & primò competit pulchritudo, quæ ſi transfertur ad alia, eis tantùm competit per Metaphoram & ſimilitudine quadam.

29. Pulchritudo corporis vel ad viſum pertinet, vel ad auditum, quatenus ſcilicet primò ab his ſenſibus confusè percipitur: percipitur enim etiam phantaſia & ratione.

30. Pulchritudo corporis, quæ ad viſum pertinet, eſt vitalis quidam fulgor in corpore reſplendens: Hæc igitur non olfactu, non tactu, non guſtu percipitur, ſed ſolo viſu: & qui hanc expetit, ſolo aſpectu corporis eſt contentus.

31. Fulgor hic exiſtit primùm è juſta totius corporis, ſingularumque ejus partium menſura, deinde è commiſſarum partium, colorumque corporis συμμετρία ſeu convenientia: quæ ſimul juncta pulchritudinem corporis conſtituunt.

32. Quod ad totius corporis menſuram attinet, requiritur, ne ſit nimis magnum, neq; nimis parvum: quapropter Ariſtot. homines brevis ſtaturæ venuſtos quidem ac lepidos eſſe ait, aptaq; membrorum commenſuratione præditos, ſed minimè pulchros.

33. In ſingulis quoq; partibus mediocris magnitudo requiritur, ne & ipſæ nimis magnæ neq; nimis parvæ ſint.

34. Partium commiſſarum convenientia ſeu συμμετρία conſiſtit in juſto earum ordine & proportione. Hinc Cicero 1. de Offi. Pulchritudo corporis, inquit, apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quòd inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt.

35. Oportet enim, ut membra quæq; corporis naturalem ſitum habeant, ſuo aures loco ſint, oculiq; & nares, ac paribus intervallis oculi naſo ſint proximi, paribus item aures utræq; diſtent ab oculis.

36. Hic

36. Hic autem ordo non sufficit, nisi partium quoque commissarum accedat proportio. Necesse enim est, ut singulæ singulis justa proportione respondeant.

37. De qua ita Marsilius Ficinus: Nasi tres in longum dispositi vultus unius impleant longitudinem: aurium utrarumq; semicirculi unà conjuncti oris aperti circulum faciant: idem quoq; conjunctio superciliorum efficiat. Longitudo nasi longitudinem labii compleat, aurisque similiter: gemini oculorum orbes unum æquent oris hiatum: capita octo proceritatem corporis comprehendant, eandem quoque monstret brachiorum in latus extensio, crurumq; similiter ac pedum.

38. Necessariam præterea speciem ducimus, ut linearum attractus artificiosi, rugæq; & oculorum splendor ordinē illum & symmetriam partium decorent.

39. Colorum συμμετεία justa est, si color proportione quadam mistus sit floridus, vividus & satur, quem Scaliger plenum vocat.

40. Hæc autem συμμετεία seu convenientia potiùs pingitur & cogitatur, quàm reperitur: multis enim eventis à primo homine depravata fuit. Et quidem ita censeo, nullum unquam corpus humanum tàm affabrè fuisse à natura factum (duo scilic. excipio, unum primi hominis, alterum veri hominis, veri Dei) quàm perfectè finguntur hodiè doctis artificum manibus.

41. Ex his constat ipsam symmetriam partium & colorum propriè pulchritudinem non esse: cùm pulchritudo sit qualitas conflata ex modo quantitatis, temperatura qualitatum & partium situ convenienti. Scal. exerc. 307. s. 27. etenim quia conveniunt partes, corpus pulchrum est, igitur pulchritudinis causa convenientia. Scal. 4. Poët. 1.

42. Sola tamen ratione pulchritudinem à symmetria seu congruente commensuratione, ordine & terminis distingui, non secus ac propria affectio ab eo distinguitur, cujus est affectio, ait Piccolom. grad. 8. cap. 36.

43. Pulchritudo, quæ auditu percipitur, est vocis. In voce enim consideratur concinnitas & congruens ratio inter acutum & grave. Vide Mar. Ficinum in Platonis conviv.

44. Horum omnium fundamentum est elementorum quatuor temperata complexio: quæ quia semper eadem non est, pro ejus officii & conditio-

conditionis rei varietate hæc etiam ut & omnia mutantur: quapropter varia pulchritudo est pueri, viri & senis, maris & fœminæ, oculi & oris. Piccolom. d. c. 36.

45. Membrorum quidem proportio plerunq; eadem servatur: sed color & vox pro ætatis conditione variè mutantur. Hinc illud Poëtæ:

Ævi satur saturo colore & florido
Minus superbit. Dic, ubi ille sit? fuit.

46. Hujus symptomatis ratio est sublatio & consumptio humidi, facta à causa efficiente valida. Abitu humidi subit nigredo, pallor, fuscus aut luridus color, ait Scaliger exerc. 325. f. 17.

47. Peregrinus enim seu extraneus vel igneæ naturæ particeps calor absumpto humido tenues partes, in quibus color suas habet sedes, populatur, ut ferè abscedant hîc magis, illic minus.

48. Vox etiam pro caloris & spirituum copia vel defectu plerunque variatur: qui enim robore & copia caloris ac spirituum meatus aperientium præpollent, magis gravi voce præditi sunt, quàm illi, qui his destituuntur: unde est, ut pueri; fœminæ, ægroti ab imbecillitate acutiùs loquantur. Bodin. lib. 3. theatri naturæ.

49. Pulchritudo artificialis est fulgor in rebus artificiosis resplendens. Hæc quoq; primò confusè percipitur visu & auditu, sensibus exterioribus, posteà exactiùs per phantasiam, exactissimè demùm per rationem & mentem.

50. Visu quæ percipitur, omnium maximè refulget in pulchris picturis, &c.

51. Quæ auditu percipitur, ea consideratur in Oratione & Nominibus.

52. Oratio pulchra erit, si sit perspicua, figuris seu flosculis Oratoriis vestita, si verba ejus sint nitida, apteq; disposita, quibus si accedat γοργότης, id est, facilitas continuationis, seu aliorum vocabulorum aliis subeuntium exprompta inculcatio, qua oratio mobilis videatur, perfectè pulchra erit. De qua re vide Scaligerum 4. Poët. 1. & seqq.

53. Nomina pulchra sunt, quæ venustatem soni habent.

54. Hinc Scaliger exerc. 266. nomen Romuli minimè pulchrum esse arbitratur, ut in quo cruda illa litera (intelligit R.) stabuletur: quemad-

modum

modum nec ipsi arridet Hieronymus, tùm propter eandem causam, tùm ob aspirationem, quam ipse quasi vomitus imitatricem odit, tùm quia Græcam vocalem continet soni sanè ignobilioris.

55. Et sanè unius semivocalis mugitus, unius mutæ inopia atq; invenustas soni fœdant fines multorum nominum, ait Scaliger alibi.

56. Pulchritudinis perfectio quædam est Gratia. Accipitur autem hic Gratia pro ea venustate & lepore, qui cum pulchritudine arcto necessitatis modo est colligatus, id est, qua quis sese tùm in verbis, tùm factis, tùm suæ vitæ consuetudine bonis omnibus gratum, amabilem & gratiosum reddit.

57. Distincta tamen est Gratia à pulchritudine: dicimus enim communi voce juvenes ac puellas quasdam minimè formosas cuncta agere cum lepore & gratia, nonnullas contrà quamvis formosas cuncta dicimus ineptè & sine gratia agere: solùm pulchras esse aspectu, destitutas tamen gratia, cùm aliquid agunt.

58. Est autem gratia potiùs affectio quædam pulchritudinis: sequitur igitur tanquam comes, non quidem omnem, sed exactam & perfectam pulchritudinem, adeò ut pulchritudo præcedat, eam sequatur gratia: Itaque pulchritudo non ex omni parte perfecta servari potest sine gratia, nec etiam gratia ex omni parte perfecta est absque pulchritudine.

59. Hæc gratia primò est in Deo Opt. Max. Is enim ut ipsum pulchrum & fons omnis pulchri est, ita etiam suapte natura gratiosissimus est, & gratia ipsa. Zanchius de attrib. Dei libro 2. cap. 2. Ideoq; etiam fons & origo omnis gratiæ: & gratia est splendor & radius divini Solis in rebus variis vario modo fulgens: si enim ad Deum gratiarum fontem convertimur, in rebus ab eo productis venustatem prodeuntem consideramus.

60. Quapropter dicebat Plato: Quicunque gratiosum & pulchrum quid admiratur & diligit, non id, sed Deum in eo fulgentem colit.

61. Deinde in rebus creatis, iis tamen non omnibus, sed solis viventibus: nec iis tamen omnibus, nisi adumbratè, sed in homine tantùm: quia gratia cum anima rationis compote affinitatem habet.

62. Hanc Gratiam, quæ hominis est, definio cum Piccolomineo externum quendam rationis fulgorem, congruentemq; dexteritatem in

obeundis munerum functionibus ex recta animi & corporis constitutione prodeuntem, perfectamq; pulchritudinem insequentem.
63. Gratia igitur præcipuè in gestibus, moribus & actionibus refulget, & sæpè specimen præ se fert alicujus moralis virtutis: propterea dicimus puellas cum gratia movere oculos, virgines cum gratia ambulare, loqui, ridere, & similia agere: sunt enim gratiæ tanquam sales actionum.
64. Hinc patet ratio, cur gratia soli homini competat, quia nimirum solus homo actionis & rationis est particeps, cum qua gratia connectitur.
65. Communis autem vox est, quòd gratia magis refulgeat in oculis, & ob id oculi nuncupantur lucidissimæ animi fenestræ, nosq; ad amandum vehementissimè alliciunt, quòd, ut pudoris sedes sunt genæ, ita amoris sedes sunt oculi.
66. Sed potiùs in subjecto adæquato, in toto videlicet consideratur, facta tamen comparatione inter partes ex lingua & ore gratia magis viva, magis hominis propria & potentior prodit: nam sermo & cantus sunt proxima rationis instrumenta, quæ internum animum lucidiùs patefaciunt: quapropter etiam Scal. exer. 256. sermonem rationis manum & portitorem animi. 1. Poët. 1. vocat.
67. Percipitur gratia ut & pulchritudo, 1. externis sensibus, visu & auditu, qui sunt principes ministri rationis. 2. Phantasia & ratione, per quam exactissimè cognoscitur.
68. Gratia autem intimiùs vehementiusque animos allicit & rapit, quàm pulchritudo: id quod apparet in multis puellis rusticis, quæ licet pulchræ sint, cùm tamen non sint gratiosæ, non ita efficaciter alliciunt.
69. Ideoq; etiam gratia præferenda est pulchritudini. 1. quia illam includit. 2. quia magis præ se fert formam & rationem. Est enim vitale aliquid magis spiritale, magisq; principium actionis patefaciens: Pulchritudo verò magis obtinet conductionem materiæ, & ad corpus pertinet.
70. In fœmina magis refulget gratia materiata, lasciva & externa: in viro virilis, spiritalior & interna.

XXXVI.

Poeticæ de Gratiis.

GRatiæ à Poëtis finguntur tres, eæq; nudæ & inter se junctæ, ita tamen, ut una semper aspicienti sit aversa, semperque ridere dicuntur.

2. Hic primò quæritur: cùm gratia adeò sit juncta cum pulchritudine, ut vix secerni posse videatur, cur pulchritudo & Venus dicitur una, Gratiæ verò tres? Respondeo, Gratias denotare affectiones quasdam, at res potest esse una & affectiones plures.

3. Secundò quæritur: Cur fingantur nudæ? Respondeo, quia gratia est pulchritudinis comes, quæ inspicitur in externis corporis partibus, ideò nuda, conspicua & aperta esse debet.

4. Tertiò quæritur: Cur fingantur inter se junctæ, sed ita, ut una semper aspicienti sit aversa? Respondeo, quia una absque altera perfectè consistere non potest, perinde enim se habet ac de virtutibus, quæ si fuerint imperfectæ, sejungi possunt, at ultima perfectione præditæ nequeunt secerni: quia verò apud nos sua postrema perfectione præditæ non inveniuntur, ideò semper una earum aversa pingitur.

5. Quartò quæritur: Quare ridere dicantur? Respondeo, quia ubicunque reperiuntur, semper se hilares ostendunt, adeò, ut in gratiosa puella concinnè cuncta faciente omnia ridere dicantur, etiam fletus ipse.

6. Quæritur etiam: Cur Musæ Gratiarum tùm perpetuæ sociæ, tùm affines esse dicantur? Respondet Scal. 1. Poët. 2. id fieri propterea, quòd elegantioris lautiorisq; vitæ authores esse videantur.

XXXVII.

Opticæ theses de Pulchritudine.

DE singularum rerum pulchritudine seu decore exactius judicari potest è sequentibus theorematis Opticis, quæ habentur apud Vitellonem & Alhazenum.

2. Pulchritudo percipitur tùm è singulis speciebus visibilibus, tùm è pluribus simul conjunctis symmetris inter se, Alhaz. lib. 2. p. 59. Et

Vitell. 148. pag. 4. Pulchritudo comprehenditur à visu ex comprehensione simplici formarum visibilium placentium animæ, vel conjunctione plurium visibilium specierum habentium ad se invicem proportionem debitam formæ visæ.

3. Species visibiles principes Optici numerant viginti ferè, quales sunt, lux, color, remotio, situs, asperitas, planities, similitudo, diaphanitas seu perspicuitas, &c. harum singulas pulchritudinem efficere ajunt: Sic enim 1. propter lucem pulchræ erunt stellæ, Sol, Luna, &c. 2. Propter colorem panni tincti, flores & viridia, &c. 3. Remotio quoque & appropinquatio faciunt pulchritudinem in visu: in quibusdam enim formis pulchris sunt maculæ turpes parvæ & rugosæ, displicentes animæ videnti, quæ propter remotionem latent visum, & forma placita animæ ex illa remotione pervenit ad visum. 4. In multis quoq; rebus pulchris sunt species parvæ subtiles cooperantes pulchritudini formarum, sicut est lineatio decens & ordinatio partiũ venusta, quæ tantùm in propinquitate ad visum apparent, & faciunt formam visui pulchram apparere. Magnitudo etiam facit pulchritudinem in visu: ut luna apparet pulchrior aliis stellis, quia videtur major, & stellæ majores pulchriores minoribus, ut maximè patet in illis stellis, quæ sunt magnitudinis primæ vel secundæ. 5. Situs quoq; facit pulchritudinem in visu: quoniam plures intentiones pulchræ non videntur pulchræ, nisi per ordinationẽ partium & situum: unde scriptura & pictura, omnesq; intentiones visibiles ordinatæ & permutatæ non apparent pulchræ, nisi per competentem sibi situm: quamvis enim figuræ literarum sint omnes per se bene dispositæ & pulchræ, si tamen una ipsarum est magna, & alia parva, non judicabit visus pulchras scripturas. 6. Figura etiam facit pulchritudinem: unde artificiosa bene figurata videntur pulchra, magis autem opera naturæ: unde oculi hominis cum sint figuræ amygdalaris & oblongæ, videntur pulchri, rotundi verò oculi videntur penitus deformes. 7. Corporeitas etiam facit pulchritudinem in visu: unde videtur pulchrũ corpus sphæra & columna rotunda, & bene quadratum corpus. 8. Continuatio quoq; facit pulchritudinem in visu: unde spatia viridia continua placent visui, & plantæ spissæ virides: quia quæ accedũnt ad continuitatem, sunt pulchriores eisdem dispersis. 9. Divisio etiam facit pulchritudinem in visu: unde stellæ separatæ & distinctæ

sunt

ſunt pulchriores ſtellis ferè conjunctis, ut ſtellæ galaxiæ & candelæ diſtinctæ ſunt pulchriores magno adunato igne. 10. Numerus etiam facit pulchritudinem in viſu: & iccircò loca cœli multarum ſtellarum diſtinctarum ſunt pulchriora locis paucarum ſtellarum, & plures candelæ ſunt pulchriores paucis. 11. Motus quoq; & quies faciunt in viſu pulchritudinem: ut motus hominis in ſermone & ſeparatione ejus: ideoque apparet pulchra gravitas in loquendo & taciturnitas diſtinguens ordinatè verba. 12. Aſperitas etiam facit pulchritudinem: villoſitas enim pannorum quorundam placet viſui. 13. Planities quoque viſui pulchritudinem facit: quia planities pannorum ſericorum & ſi etiam ad politionem ſive terſionem accedant, placet animæ. 14. Diaphanitas etiam facit pulchritudinem apparere: quia per ipſam videntur de nocte res micantes, ut patet de aëre ſereno, per quem in nocte videntur ſtellæ, quod non accidit in aëre condenſato propter vapores. 15. Spiſſitudo etiam facit pulchritudinem: quoniam lux, & color, & figura, & lineatio, & omne pulchrum viſibile comprehenduntur à viſu propter terminationem corporum, quibus inſunt, quæ terminatio à ſpiſſitudine efficitur. 16. Et umbra facit apparere pulchritudinem: quoniam in multis formis viſibilium ſunt maculæ ſubtiles reddentes ipſas turpes cum fuerint in luce, quæ in umbra vel luce debili viſum effugiunt. 17. Tortuoſitas quoq;, quæ eſt in plumis avium, ut pavonum & aliarũ, quia facit umbras, facit apparere pulchritudinẽ viſui. Umbra ſcilicet in ſui admixtione cum lumine efficit varios colores, qui tamen non apparent in umbra vel in luce debili. 18. Obſcuritas etiã facit pulchritudinem apparere viſui: quoniam ſtellæ non videntur niſi in obſcuro. 19. Similitudo etiam pulchritudinem facit: quoniam membra ejuſdem animalis, ut Socratis, nõ apparent pulchra, niſi quando fuerint ſimilia: unde oculi, quorum unus eſt rotundus, & alter oblongus, non ſunt pulchri, vel ſi unus major fuerit altero, vel unus niger, & alter viridis, vel ſi una genarum fuerit profunda, & altera prominens: erit enim tota facies nõ pulchra, quando ejus partes congeneres non fuerint ſimiles. 20. Diverſitas etiam facit pulchritudinem: quoniam diverſæ partes univerſi ornant & pulcrum faciunt univerſum, & diverſæ partes animalium animalia: eandem quoq; manum ornat diverſitas digitorũ, omnis enim pulchritudo membrorum eſt ex diverſitate figurarum partium

 ipſarum.

Per intentiones Vitello intelligit species.

ipsarum. Sic ergo pulchritudo comprehenditur à visu ex comprehensione simplici formarum visibilium placentium animæ: Ex conjunctione quoq; plurium intentionũ formarum visibilium ad se invicem, & non solum ex ipsis intentionibus visibilium fit pulchritudo in visu, ut colores scintillantes & pictura similiter proportionati sunt pulchriores coloribus & picturis carentibus ordinatione consimili: & similiter res se habet in vultu humano: rotunditas enim faciei cum tenuitate & subtilitate coloris est pulchrior quàm unum sine altero, & mediocris parvitas oris cum gracilitate labiorum proportionali est pulchrior parvitate oris cum crassitudine labiorum. In multis itaque formis visibilium conjunctio, quæ est in formis diversis, facit modum pulchritudinis, quem non facit una illarum intentionum per se. Facit autem proportionalitas partium debita alicui formæ naturali vel artificiali in conjunctione intentionum sensibilium pulchritudinem magis, quàm aliqua intentionum particularium: omnes enim pulchritudines, quas faciunt intentiones sensibiles ex ipsarum conjunctione adinvicem, consistunt in proportionalitate debita formis, quas perficiunt sub modo illius conjunctionis. Cum itaq; visus comprehendit aliquam rem visam, in qua est aliqua intentio particularis, faciens per se pulchritudinem: tunc pervenit forma illius intentionis post intuitum ad virtutem sentientem, & comprehendet virtus distinctiva pulchritudinem rei visæ, in qua est illa intentio: & sic conjunctio diversarum intentionum efficit pulchritudinem, cum pervenerit ad vim sentientem: tunc scilicet virtus distinctiva comparabit illas intentiones ad se invicem, & comprehendet pulchritudinem rei visæ compositæ ex illarum intentionum conjunctione, quæ sunt in ea. Et hi sunt modi, penes quos accipitur à visu omnium formarum sensibilium pulchritudo: in pluribus tamen istorum consuetudo facit pulchritudinem: unde unaquæque gens hominum approbat suæ consuetudinis & moris formam.

4. Hæc tamen indistinctè accipienda non sunt, sed pro conditione & varietate rei: non enim quilibet color, non quælibet lux, non quælibet magnitudo, &c. pulchritudinem in quolibet corpore efficit.

5. E conjunctione quoq; plurium specierum visibilium pulchritudo cognoscitur, modò tamen species illæ inter se sint symmetræ: siquidem

dem omnis pulchritudo, quam plures species visibiles conjunctæ efficiunt, in justa symmetria consistit.

6. Ubi igitur species illæ visibiles neq; per se neq; conjunctæ pulchritudinem efficiunt, non pulchritudo, sed turpitudo percipietur. Hinc Alhaz. 60. p. 2. Deformitas percipitur tùm è singulis visibilibus speciebus, tùm è pluribus simul conjunctis asymmetris inter se.

7. Et clariùs Vitello 149. p. 4. Turpitudo comprehenditur à visu, cùm intentiones sensibiles neq; per se, neq; ex conjunctione ipsarum ad se invicem aliquam pulchritudinem procreant.

8. Addit autem Vitello d. p. 148. placentium animæ. Neq; enim oculus judicat hanc vel illam rem pulchram esse: sed hoc est officium virtutis distinctivæ. Et hoc est quod suprà dixi, confusè pulchritudinem percipi per externos sensus, exactè autem dijudicari per phantasiam, exactissimè verò per rationem.

9. Virtuti tamen distinctivæ in dijudicanda pulchritudine & deformitate sæpissimè error accidit, ex intemperata videlicet dispositione octo circumstantiarum cujuslibet rei visæ. Vitello 16. & 150. p. 4.

10. Octo enim ad separationẽ visus, seu ad visionem perficiendam necessaria sunt, quorũ quodlibet ad vitandum hallucinationes visui Symmetrum esse oportet, Alhaz. 18. p. 3. ut [illegible] distantia, situs, magnitudo, soliditas corporis visibilis, diap[illegible]raritas aeris, tempus conveniens intuitioni faciendæ, & sanitas visus.

11. Itaq; si hæc octo non adsint, pulchritudo vel deformitas rei non percipietur: & in visione errores creabit: Remotio excedens modum: Situs inconvenientia: Lucis nimia debilitas, vel lux immoderata: Exiguitas corporis: Nimia aëris spissitudo & nocturnæ tenebræ: Raritatis intensio, & defectus soliditatis corporis: Minima duratio, & infirmitas visus. Sic nocte non videntur maculæ, quæ sunt in re visibili, quapropter pulchra judicabitur. Sic si eminus res aliqua conspiciatur, in qua sunt maculæ, eas occultari continget. Idem de cæteris judicium esto. Atq; hæc hactenus de pulchritudine, re pellacissima, & illigandis capiendisq; sensibus efficacissimo vinculo.

I. Corollarium Physicum.

Mulieres, quibus pulchritudo est curæ, si albidæ sunt, purpureis utuntur

utuntur indumentis, non solùm quòd specierum attemperatione apparens quidam rubor exoriatur, sed etiam, quòd hunc apparentem colorem verus color insequatur, incitatis spiritibus & cum eis sanguine.

2. Corollarium Logicum.

Justitia justi sunt quicunq; justi, sapientes sapientia sunt sapientes, & bono peræquè bona quæcunq; sunt bona: pulchra sunt pulchro pulchra. Plato in Hippia. Justi igitur forma seu formalis causa, non adjunctum, est justitia: pulchri forma pulchritudo, &c.

XXXVIII.

Quòd purus ignis nihil urat: & quòd densatus mistusq; materiæ urat.

Igni comburendi vis est per accidens, quia mistus materia.

DUo teneantur axiomata. Primum: Ignis sua natura & per se, quà simpliciter ignis, non adurit. Secundum: Ignis adustionis causa est per accidens, seu propter aliud. Ac quidem urit duplici de causa: Una est alienæ materiæ, seu alieni solidi corporis admistio. Altera, si ipse purus condensetur. Utriusq; una est ratio, videlicet partium propinquitas, quarum coactione in minori spatio substantia major, ac propterea ma[illegible] Quamobrem non comburit ignis rarefactus, sicut ne lucet [illegible] quia caret corpulentia, itaq; etiam conspicuus non est.

Hæc vera esse ostendunt ferrum, lignum, lana, flamma, fumus, specula quædam. Validior est in ferro ignis quàm in ligno. In lana est imbecillior. In flamma tam dilutus, ut manum traducamus sine offensione. Ignis, qui in fumo est ascendente, est invisibilis, & non comburit. Ignem urere per partium coactionem arguunt specula cava, in quibus ignis generatur propter coitionem seu condensationem.

Sed restitas sic: si ignis simplex & purus, (qualem peripatetici sub Lunæ concavo esse dicunt) per se non adurit, per se nullum habebit calorem. At consequens falsum. Falsum igitur quoq; antecedens. Resp. Fallax est connexum. Potest enim aliquid esse calidum, & tamen non adurere, nempe si quid est calidum calore blando & vivifico: multi enim sunt gradus caloris. Porrò quæris: An falsum sit quod vulgò docetur: Ignem sua natura & insita vi urere admota corpora (apta ad receptio-

ceptionem ustionis?) Respondeo: Falsum non est: Intelligitur enim de igne impuro & misto. Ignis ut corpus mistum urit per se, & naturaliter, seu necessitate physica. Sic terra ut corpus mistum fructificat: Terra verò ut purum elementum non fructificat.

TABELLA.

Ignis habet calorem
- *Per se, quem sua natura habet, qui est blandissimus, alens, fovens ad naturam crasinvé constituendam & tuendam aptissimus & accommodatissimus.*
- *Per accidens, propter partium propinquitatem: cujusmodi calor est ignis comburentis, consumentis, edacis, voracis, quem calorem hic nostrâs (διακονικός) ex aliorum corporum densiorum admistione comparat. Unde impurus & mistus ignis dicitur.*

XXXIX.

An ignis possit esse calidus, quem actu ipso manus non deprehendat calidum & adurentem: & an aqua sit aqua, quæ non humectet?

IN *certis noli Thomas incredulus esse: In dubiis cohibe (vis sophos esse) fidem.* Quid igitur est quod quidam scribit: *Nec verò quisquam mihi persuadeat, aquam humidam esse, quæ non humectet?* Annon, bone, glacies aqua est, quamvis aliquid perpessa? At ea non humectat. Conclude: Glacies non humectat.

Glacies est aqua: quia aqua concreta est, nec sicca est, sed dura, gelu enim πάθος humiditatis est, nec in siccitatem convertitur, sed cogitur tantùm & compingitur.

Ergo quædam aqua non humectat.

Ecce habes: sed alio argumento demonstrabo tibi humiditatem esse non humectantem. Cùm exsiccantur lateres, calore humiditas humectans absumitur, relicta continente, hoc est, conglutinante, quâ scilicet terrenæ partes velut glutino quodam compactæ cohæreant firmiter, ne dissiliant.

Nondum persuasum tibi est, Buschere, quod volo?

Sed redeo ad prius, propter simpliciores, & probo clariùs glaciem esse aquam.

1. Quicquid essentialem suam formam retinet, actu manere dicitur, licet accidentales alias acquisierit.

Aqua autem congelata suum retinet actum essentialem.

Ergo actu superest.

2. τὰ πάθη non tollunt actus essentiales seu formas.

Glacies est aquæ πάθος. Ergo glacies non tollit formam & actum essentialem aquæ.

Inquis. Aqua quidem manet ipsa, sed humiditas non manet: quia non humectat.

℞. Imò manet, non enim aqua est aqua, nisi sit humida: amissa humiditate perit aqua: Zabarell. Schegk. Taurell. Bodinus. Et quod humidum est, non necesse est semper humectare, ut quod calidum est, non necesse est semper calefacere & urere.

Et glacies non aquæ primò, sed humiditatis est πάθος, ut humiditatem in glacie superesse necesse sit: aliâs congelatio esset generatio, non alteratio, ut rectè judicant doctissimus Nicolaus Taurellus & Jacobus Schegkius, quibus hæc debere me profiteor libenter, cùm *occultata alienæ laudis fur possit.* ff. ad l. Falcid. l. Hæreditatum. § final. Quos si interdum consuleret Buscherus, qui nunc est paulò crassiusculum φιλοσοφίδιον, brevi evaderet bonus Philosophus, nec tam sæpe in reprehensionem justam incurreret. De igne negationem adversarii non impugno, modò concedat, ignem posse esse calidum, & tamen non calefacere & adurere, per miraculum: & naturaliter etiam nonnulla corpora, quòd sint vehementissimè & tenacissimè compacta, & multa frigiditate polleant, si admoveantur igni, ita ei resistere posse, ut aliquandiu versentur in eo à læsione, hoc est, incendio immunia: Cui assertioni si nolit fidem adjungere, amandandus est mihi ad Benedictum Pererium Valentinum è Societate Jesu, an fortè ex hujus disputatione erudita hoc discere possit.

XL.

An ab externis causis sæpissimè cohibeatur actus secundus, manente actu primo? Et: an qualitati seu facultati essentiæ salvæ manenti, nonnunquam contraria accidat ἐνέργεια, vel naturaliter, vel miraculosè?

Utrunq; affirmatur.

QUòd non tantùm miraculosè, sed etiam naturaliter & artificiosè sæpenumero actus secundus, manente actu primo rei, cohibeatur: quodq; facultate interna salva, res nonnunquam sustineat illi contrariam ἐνέργειαν: hæc igitur, abjecta omni dubitatione, affirmamus.

Propos. quæst. affir.

Probationi affirmationis nostræ præmittimus προέγνωσιν (quæ maximè hic requiritur) vocum Actus primi, & Actus secundi.

προέγνωσις

Primò igitur actus primus est potentia activa, ut ἕξις vel διάθεσις, ad actum secundum. Dico *potentia activa*, ad differentiam potentiæ passivæ, quæ est naturæ capacitas & habilitas ad adquirendum actum primum & secundum.

Actus primus.

Actus secundus, est functio seu operatio ipsa ab actu primo profecta. Sic potentia passiva in homine, est aptitudo, & ad alicujus rei notitiam, seu alicujus disciplinæ habitum comparandum, & ad contemplationem ejus. Potentia activa, seu actus primus in homine, est ipse habitus, vel notitia & idea, intellectui etiam non cogitanti impressa. Actus secundus, est ipsa de re nota cogitatio, seu ejus contemplatio, operatio, ab habitu profecta, & habitum sequens.

Actus secundus.

Secundò, nonnunquam actus primus & actus secundus est forma substantialis, à seipsa tantùm ratione distincta. Ut actus primus significet formam non operantem, sed otiosam. Actus verò secundus, formam (& quidem eandem) sed operantem. Sic anima, quatenus non operatur, est actus primus: quatenus operatur, est actus secundus, corporis vitam habentis. Ille similis est somno, hic vigiliis. Ille similis est τῷ ἔχειν, τῷ ἐπίστασθαι habitui, scientiæ: *ut si quis scientiam habet, & non contemplatur.* Hic similis est τῷ ἐνεργεῖν, τῷ θεωρεῖν, operationi, speculationi, scientiæ, *ut si quis scientiam habet & exercet contemplando.*

Sic accipit Archangelus Mercenarius philosophus acutissimus

verba Arist. 3. de anima; *Actus* (scilicet substantialis) *duplex est, primus, ut scientia : secundus, ut consideratio* : quòd Aristot. ibi actum, qui substantia est, non accidens, dividat. Expositis terminis, sequitur affirmationis nostræ ἔνδειξις, ostensio.

ἔνδειξις.

I. *Primò* : cùm aqua, quæ natura fluida est, conglaciatur in summo frigore, fluor actualis cohibetur. Sed manet habitualis, seu potentialis. Nec sequitur: *Hæc aqua non fluit, quia ἐνέργεια humiditatis aquæ est concretione in glaciem impedita.* Ergo *sublata est ejus fluiditas.* Non sublatam esse ostenditur tibi πρὸς ὄψιν, cum igni solvitur glacies. Neque verò dici potest, *glaciem non esse amplius aquam.* Est enim glacies πάθος aquæ, vel aqua aliquid perpessa, *hoc est*, est aqua concreta frigore. Nec differunt aqua & glacies essentialiter, sed tantùm accidentaliter, id est, in glacie naturaliter cohibito per frigus fluore, manet aqua, non essentiali, sed accidentali tantùm forma differens ab aqua profluente; manet forma aquæ, cum ipsa proprietate seu facultate interna. Sanè *peremta humiditate aquæ, necesse est ex aqua fieri aliud elementum. Cùm fit glacies, non fit ex aqua aliud elementum* : Ergo *cùm fit glacies, non perimitur aquæ humiditas.* Præterea *Glacies ἐνεργείᾳ sicca est. Glacies adhuc est aqua* : Ergo *quædam aqua ἐνεργείᾳ sicca est.* Itaque potest contraria qualitas ἐνεργείᾳ conjuncta esse cum δυνάμει. Sic ignis in vino destillato, vel aqua marina, est ἐνεργείᾳ frigidus & humidus, sed δυνάμει est calidus & siccus. Hic ἐνέργειαι qualitatum contrario permutantur, sed tamen qualitatum δυνάμεις contrario non permutantur.

II. *Secundò* : in infantibus actus secundus ingrediendi non est. At virtus seu actus primus ingrediendi inest in eis Nec sequitur: *Non statim ingrediuntur pueruli, ergo nulla est in his cerebri & nervorum virtus.* Ratio est: *Quia ad actum secundum requiruntur plura, quàm actus primus. Plura requiruntur ad choreã, quàm par calceorum, & duo celeres pedes, vel posse benè saltare.* In infantibus actus secundus intelligentiæ & rationis non est. At nihilo-minus actus primus ei inest, *hoc est*, non quidem utuntur ratione: at habent tamen δύναμιν λογικήν. Nec sequitur: *non ratiocinantur infantuli, non exerent se in illis motus intelligentiæ*, nempe quia obstat intellectioni laxum nimis & humidum cerebrum, ergo non habent facultatem ratiocinandi. Si enim hoc sequeretur, non conveniret eis hominis definitio, proindeq; non essent homines.

Tertiò :

Tertiò: in somno sensio, qui est effectus, seu actus secundus, impeditur naturaliter, unde somnus ligamentum sensuum dicitur. Et tamen manet in dormientibus actus primus, nempe facultas sentiendi.

IIII. *Quartò*: sæpe sine miraculo animal producit monstrum, & tamen vis producendi non monstrosum manet in animali.

V. *Quintò*: cum detinetur terra in tecto, impeditur & cohibetur descensus terræ deorsum, qui actus secundus est. Sed inde non conficitur, actum primum scilicet gravitatem, quæ est inseparabilis ab ipsa essentia ἕξις, ut ait Schegkius, sublatam & mutatam esse. Gravitate enim & levitate mutata in elementis, species elementorum mutantur, teste eodem.

VI. *Sextò*: cum alicui manus arctissimè convinciuntur, definit actus secundus, id est, apprehensio, sed primus, *id est*, vis apprehendendi interior non cessat.

VII. *Septimò*: Terra, in terræ motibus, etiam naturalem ob causam subsilit. Hic ἐνέργεια ista (scilicet subsultatio) dissentit à terræ δυνάμει naturali, quæ manet. Manet enim terra in se gravis.

VIII. *Octavò*: Naturalibus causis motis artificio fit, ut plumbum, quod ejaculantur tormenta bellica, tendat sursum, & actus secundus contrarius plumbi actui secundo, qui est tendere deorsum, accidat plumbo.

IX. *Nonò*: Grave in suo loco non est grave (actu secundo) id est, non premit deorsum (Barbari dicunt *non gravitat*) Et tamen elementum grave habet ubiq; naturam gravis, *id est*, qualitatem & propensionem ad inferiorem locum, *teste Zabarella, de motu gravium, lib.1.cap.ult.*

X. *Decimò*: Anima vegetans non semper exercet suas operationes, non enim semper auget, nec semper generat (& ita otiosa forma est) sed ad tempus certum & definitum, hoc est, à natura præscriptum, non quousq; vivitur. Respectu igitur accretionis & generationis, quæ opera non semper præstat, anima illa non est actus secundus, sed actus tantùm primus Mercenario, &, ut ipse probabiliter disserit, Aristoteli. De miraculis, ut addamus ἐπεισόδιον, minimè dubitandum est, quin Deus & diabolus sæpe inhibeant & impediant actum secundum, manente interim actu primo. Tutia Vestalis virgo, ut elueret suspicionem stupri, aquam gessit in cribro. Claudia eadem de causa na-

vim, in qua vehebatur Bona Dea, hærentem in arena, ut nulla vi humana moveri posset, Zona tantùm commotam attraxit ad ripam. Hic ex aqua gravi non est facta levis, sed operatio gravitatis, motus deorsum, seu prolapsio in terram, impedita fuit. Nec navis facta est actu primo levis, sed facta est ejus promotio contraria operationi gravitatis, & quies impedita est à Diabolo. Deus divina sua virtute, *Danielis 3.* ignis calorem aliquandiu cohibuit, quod ad ἐνέργειαν seu δύναμιν in objecta agentem attinet (de qua Heb. 11. *Fide vim ignis exstinxerunt*) manente nihilominus actu primo, seu insito penitus igni & ἀχωρίστῳ calore, quod ad actum primum attinet, nec mutata caliditate in frigiditatem contrariam. Cùm enim non ussit ille ignis tres sanctos viros, non fuit frigidus.

Object. Sed objicis: *Exstinxerunt vim ignis, ergo sublata est vis interna & calor ignis.*

Respon. Respondemus: *Est similis hæc objectio illi, Deus ad liberandum suos in hoc tyranno iracundo & irato exstinxit ardorem æstumq; iræ. Ergo sustulit ab eo θυμόν, & iracundiam ipsam, quæ ei naturalis est.* Ut autem hoc non sequitur: sic neq; illud. *Non,* inquam, *sequitur: Exstinxerunt vim ignis, ergo exstinxerunt calorem:* sed hoc, ergo *exstinxerunt calorem urentem.* Nec sequitur, *exstinxerunt calorem urentem:* ergo *exstinxerunt simpliciter calorem.* Committitur enim Elenchus à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. Ac rectè scribit Buscherus: *Fecit Deus ut in igne Babylonico esset calor adurens, & non adurens,* ratione diversorum subjectorum, *id est,* objectorum. *Si calor fuit adurens, & non adurens:* ergo *fuit calor, & mansit calor utrobiq;.* Nam ab Est tertii adjecti, ad Est secundi adjecti, valet consecutio: seu si subjectum cum adjuncto sit, profectò subjectum erit, *ut, hic frigus est lædens vel non lædens. Ergo frigus est.* Ergo *non fuit interior seu ἐκτικὴ vis ignis exstincta.* Quid multa? *Deus calorem urentem ad tempus ab igne removit, salva manente ignis substantia,* rectè ait Buscherus. Ergo *calorem prorsus tum sustulit,* id verò non sequitur.

Quæstio. At quomodo vis urendi remota (rectiùs & significantiùs dicitur cohibita) fuit ab igne, salvo manente calore, quærit Buscherus.

Respondemus per distinctionem, inter vim internam, seu absolutè consideratam, & externam, seu respectivè consideratam. *Vis urendi interna, intra ipsum ignem considerata, non fuit remota & exstincta. Sed tantùm*

vis ex-

vis extrà ad objectos viros sanctos sese proferens, id est, ut loquitur Scriptura Danielis 3. non est dominatus ignis in viros istos, seu nihil potestatis habuit in eorum corpora. Hoc est exstinctam esse vim, seu impetum (ut vetus versio habet) ignis. Huic sententiæ etiam subscribunt doctissimi Theologi. *Dei omnipotentia potest efficere, ut ignis ardentissimus in medio sui complectens, tamen puerorum corpora non adurat illa. Et tamen essentia ignis manet, ac proprietates suas, ut calorem, retinet*, ait Martinus Chemnitius. Ita quoq; alii Theologi de effectus suspensione verba illa accipiunt: *Exstinxerunt vim ignis*, id est, nullum ignis, ait γλωσσόγραφος, incommodum senserunt: seu effecerunt fide ne ignis esset efficax, ne exprimeret suam vim & sævitiam in ipsos. Præpotens enim res fides est: & præsentissimus fidelibus Deus facilè causarum secundarum effectus suspendere, vel etiam in contrarium mutare potest. Imò hæc sententia facilè probatur ex Scriptura. Etenim (*quam quidem probationem Chemnitius præcedentibus modò adductis verbis statim subjicit*) idem ignis non tantùm ligna, sed & circumstantium corpora, quæ remotius absunt, exurit. Si ignis tum non fuit calidus, quomodo eodem momento temporis, quo pepercit viris sanctis, potuit agere in ligna, eaq; adurere? Hoc sanè non facit ignis non calidus, ignis frigidus: qui non est ignis. *Præterea*, si ignis ille retinuit odorem, retinuit quoq; calorem. Nihil enim odoratum est expers caliditatis. At ignis ille retinuit odorem, seu nidorem. Dicitur enim in contextu, *odorem ignis non pervasisse eos*. Ergo retinuit quoq; calorem, seu ἕξιν, id est, habitum caloris.

Huic πίστει adjungo ἄπεχον Johannis Bodini viri doctis magni. *Pleraq; accidentia sine interitu subjecti abesse possunt, non omnia, nec item ea, quæcunq; rei maximè propria sunt*: ut, Calor ignem, humor aquam, sine obitu ignis & aquæ deserere non possunt. In Theatr. Natur. 2.68. Et: Calore sublato, perit ignis, humore siccato, perit aqua. pag. 147.157. Et: Si à calore deseratur ignis, aut ab humiditate aqua, *neutra subsistere potest*, pag. 183. Sed hæc ἐκ περιουσίας.

Verùm iterum objicitur illud: Quo ablato destruitur ignis, est forma ignis. Calor non est forma ignis. Ergo ablato calore non destruitur ignis.

℟. Si hoc sequitur, sequetur quoq; istud: **Illud quo ablato, destruitur ignis, est forma ignis.**

Calor

Calor eſt illud, quo ablato deſtruitur ignis.

Ergo calor eſt forma ignis. Ad meæ hujus argumentationis majorem reſpondebis rectè: Illud quo ablato, primò deſtruitur ignis, eſt forma ignis. At calor non eſt illud, quo ablato primò deſtruitur ignis. Sic ego quoq; tibi reſpondeo: Calore ablato primò non deſtruitur ignis: at calore ſublato ſecundariò deſtruitur, ſeu interitus ignis primò provenit non ex abſentia caloris: ſed ex abſentia formæ, cum qua tamen unà abeſt calor. Ita ſi ridendi facultatem de medio tollas, interibit homo: non tamen quaſi ob primam cauſam: ſed quia facultas iſta non perit, niſi intelligentia unà pereat, per quam homo eſt homo. Idem poteſt objici de humiditate in aqua: Sine quo res eſſe nequit, & quo conſervatur, illud eſt ejus principium, forma & natura. Tu dicis: ſine humiditate aquam non eſſe, & aquam conſervari humiditate. Ergo facis humiditatem aquæ naturam & formam, non accidens. Reſp. ad propoſ. Quo res conſervatur primò, id eſt ejus principium. Ad ſubjectionem: At Aqua conſervatur humiditate ſecundariò. Similis eſt hæc argumentatio illi Galenicæ: Quo res maximè conſervatur, id eſt ejus principium & natura. Craſi conſervantur corpora animata, eaque turbata & vitiata ipſum corpus animatum laborat, & tandem interit. Ergo craſis eſt principium & natura corporis animati. Reſp. per diſtinctionem: Nam conſervatur aliquid re quapiam vel primò & ſimpliciter, ut ἕξει οὐσιώδει, id eſt, tanquam forma eſſentiali, à qua res ſuum actum ſuamq; eſſentiam accipit. Ejuſmodi conſervans eſt ipſa rei natura: Vel conſervatur quippiam re aliqua ſecundariò, tanquam inſtrumento & habitu quodam eſſentiam rei neceſſariò comitante: Et hoc non eſt natura rei, ſed quiddam ſecundum naturam, quæ duo diverſa ſunt, nimirum eſſe ipſam rei naturam, & eſſe eidem rei ſecundum naturam. Anima eſt ipſa natura animatorum, eſt principium ipſum vegetandi, ſentiendi, &c. Craſis autem tanquam qualitas & habitus accidentalis, ἐπουσιώδης tamen, quo res tanquam inſtrumento & ſecundariò conſervatur, eſt corporibus animatis ſecundum naturam.

XLI.

An hominibus mutis proprietas inſit loquendi?

Affirmatur.

Thesis declarata comparat.

UT mens, etsi non intelligat, ut in iis qui amentes dicuntur, vim tamen ὐσιώδη, ut intelligere possit, necessariò habet, absq; qua mens non est, hoc est, essentialem. Ut ignis, si non urat, potentiam in se essentialem necessariò habet, ut possit urere, eumq; nemo vocat ignem si ea destitutus sit: Sic homo si nō loquatur, ut mutus vel recens natus puer, ὐσιώδη ideoq; inseparabilem potentiam, ut loqui possit, necessariò habet, absq; qua homo non est. Sic homo si non rideat, aut non incedat erecto ad cœlum corpore: potentiam tamen habet ὐσιώδη, ridendi aut incedendi ita, sine quâ homo non est. Docuit hoc ante me liberi judicii Philosophus Nicolaus Taurellus, amicus meus his verbis: *Mutum licet animo, id est, actu nequeat, loqui posse dicimus: aliâs homo non foret.*

Approb. auctorit. Philosophi.

Antithesis Advers. cum ratione contradicent: Responsio. Elenchus est oppositorum.

Sed negat hoc adversarius: Cùm enim nequeat loqui, quî possit loqui. An non nequire & posse contradicunt? Apparens hìc tantùm est contradictio. Nam homo mutus loqui nequit qualitate accidentali & facultate ἐπικτήτῳ, id est, acquisita, quam non habet. Potest verò potentia essentiali. Non potest τῇ ἐνεργείᾳ: Sed potest aptitudine essentiali & inclinatione ingenita seu naturali proclivitate, seu ἐγκλίσει, id est, propensione insita, ideoq; conatur nutu loqui.

2. rat. Advers.

Pergit adversarius: Mutum loqui posse absurdum est, quod repugnet experientiæ & rationi: quia in homine muto perfecta est habitus privatio.

Respons.

Absurditas hìc nulla est. Homo enim mutus, quâ mutus, loqui non potest.

At homo mutus, quâ homo, loqui potest.

Ergo homo mutus loqui non potest actu secundo: At loqui potest actu primo, hoc est, potentiâ interna, quæ otiosa est, & nullis profert seu demonstrat sese actionibus quòd extrinsecus impedita sit, ut qui in laryngibus vulnerati sunt, sæpe sermonem amittunt: Et ex vulnere illo evadunt muti. Est enim nervus duplex à tertia syzygia manans, qui in laryngibus inseritur, alteroq; quidem ramo, lingua sermoni apta redditur, ita, ut eo resecto sermonis usus amittatur. Aliter etiam accipitur habitus in Topicis, aliter in Categoria qualitatis. Illic significat quamvis rem positivam: Hic verò pressius, ut distinctum quid à naturali potentia, patibili qualitate, &c. Mutus igitur homo habitu quidem accidentali privatus est, sed non essentiali: seu privatio habitus in eo non est

Conclus. refutationis.
Confirm. veræ sententiæ.

absentia potentiæ loquendi essentialis, sed accidentalis, propter causas præter naturam accedentes. Error igitur adversarii est ex non distinctione & neglectu reduplicationis. Quare nos concludamus propositam quæstionem & ipsam disputationem totam affirmatè: Prim. Descriptio hominis est: Animal loquens.

Animal enim verum genus hominis est, & loquens, est quasi forma. Sic enim Ramus in loco distributionis: distributio generis in formas specierum eadem est cum distributione generis in species: Formæ enim cum genere constituunt suas species: ut animalium aliud est loquens, aliud mutum: loquens enim vocans formam, intelligit quasi formam seu Vicariam formam: per mutum verò intelligit non loquens. Descriptio autem bona necesse est ut omni per se conveniat. Ergo animal loquens homini omni per se convenit. Ergo etiam homini muto. Porrò animal loquens hîc est, quod est ad loquendum conditum seu natum (πεφυκός) quæ interpretatio non tam mea est quàm Melanchthonis in loco proprii: Homo mutus, quâ homo, est animal loquens. Ergo homo mutus, quâ homo, est animal quod est ad loquendum conditum seu natum. Quòd igitur homo mutus non potest loqui, impotentia accidentalis est, quæ non tollit essentialem potentiam.

Deinde: sicut quod naturam habet, ut ridere possit, habet hominis simpliciter proprium, sic quod naturam habet, ut loqui possit, habet hominis ἁπλῶς proprium. Nam loqui est accidens, ut Peripatetici loquuntur, hominis proprium, κατά τι: quia dormiens non loquitur: quale accidens mentis est intelligere, cùm nec infantes, nec qui dormiunt homines, intelligant (hoc est, effectum hominis est non perpetuum.) At mutus homo habet naturam ut loqui possit. Ergo mutus homo habet simpliciter proprium hominis.

Ultimò: ἀδυναμία naturalis, non tollit δύναμιν essentialem. In homine nato muto, mutum esse, est ἀδυναμία naturalis. Ergo hæc ἀδυναμία seu impotentia, non tollit δύναμιν internam essentialem loquendi. Et per consequens: in homine muto loquendi proprietas, ut actus primus, inest: quod erat demonstrandum.

Nota,

Nota, vim eſſentialem interdum à philoſophis accipi pro vi conſtituente eſſentiam: interdum pro vi conjuncta in ſeparabiliter cum eſſentia.

Intuere etiam ſubjectam tabellam, quæ præſentem diſputationem illuſtrat.

Diligenter diſtinguendum inter
- *Potentiam. Hæc eſt*
  - a *Paßionis. Hæc potentia eſt.*
    - *IN Re: id eſt, in eo quod mutari poteſt: ut* δύναμις *in ſemine unde canis fieri poteſt.*
    - *Extra rem: id eſt, in eo unde res dependet: ut cum dicimus truncum poſſe fieri hominem: lapides poſſe fieri panes.*
    - *Fieri hoc ſcilicet poteſt à Deo efficiente rerum cauſa, ſine interventu naturæ.*
  - b *Actionis. Sic dicimus Poſſe hominem*
    - *Infantem intelligere.*
    - *Mutum loqui.*
- *&*
- c *Actionem ipſam: hæc aliquando per accidens, ut ob morbum animi vel corporis, non ſequitur potentiam ſeu primum actum: Ita hic non poteſt vires ſuas exercere, ſed ut nihilo-minus in re maneat. Ut qui ſupra modum triſtes ſunt non poſſunt ridere, & tamen habent in ſe* δύναμιν, *qua* γελαστικοί *dicuntur. Sic homines aliqui impediti certis cauſis omninò animi ſui ſenſa efferre nequeunt: & tamen rectè dicuntur potentiam habere loquendi.*

a) Hac potentia res dicuntur fieri, nec hæc rei nomen dat.
b) Hæc potentia rebus, quæ jam ſunt, nomen impertit.
c) Hæc exiſtit ex potentia actionis ſeu actu primo: ac ſolet dici actus ſecundus.

XLII.

An frigus ſine ulla determinatione proprium ſit aquæ.

Negatur.

SApientibus laudatiſſima ſemper ſententia viſa eſt: duabus propoſitis ſententiis veriſimilibus, veriſimiliorem eſſe amplectendam.

Quid igitur judicent ſapientes de ſententiis duabus, quarum altera vera, altera falſa eſt, cui quæſo obſcurum eſſe poteſt? falſam nimirum eſſe ſimpliciter rejiciendam. Talis eſt adverſaria. Ait enim ſine

ulla moderatione, frigus esse aquæ adjunctum proprium manans à forma aquæ, & quidem hoc assumit ad ἀπηφορὰν incolumitatis subjecti à propria affectione deserti. Frigus ab aqua abesse potest, salva manente aqua. Frigus autem aquæ adjunctum proprium est, manans à forma aquæ. Ergo quædam adjuncta, &c. Quia conclusionem philosophi negant, vel ad majorem, vel ad minorem respondent.

Quorundam responsio hæc est ad assumptionem negata: Frigus non est simpliciter & reciprocè proprium aquæ. Vel quia convenit etiam Terræ elemento. (Hæc responsio est Hieronymi Zanchii, lib. 2. ca. 5. de sex operibus Dei. Unde sic arguitur:

Commune alicui cum terra non est ei proprium: Frigiditas est communis aquæ cum terra. Ergo frigiditas non est aquæ proprium.) Vel quia καθ' ὑπερβολὴν proprium est aëris: quod placet Bodino, Theat. Phys. lib. 2. pag. 158. Id maximè omnium frigidum est, cujus vi ac potestate cætera frigescunt, rigent, & gelu concrescunt. Aëris vi ac potestate nives, grandines, metalla rigent & concrescunt, maximè tamen aquarum superficies in stagnis & fluminibus, quâ patent aëri. Ergo aër omnium maximè frigidus est.

Iudicium & demonstratio Ioh. Bodini.

Aliorum responsio ad assumptionem fit per distinctionem: Distinguunt enim inter qualitates actuales seu sensiles & virtuales, hoc est, arbitrantur, præter frigiditatem qualitatem sensilem, quam ideo vocant actualem, quòd per eam subjectum (aquâ) actu denominetur frigidum, dari qualitatem aliam insensilem ejusdem nominis (id est frigiditatem) nisi quòd eam appellent virtualem, quòd vim habeat ad priorem illam restituendam in pristinum statum, nec tamen per se ipsa sit satis ad denominandum subjectum frigidum: ac proinde dicunt integram eam semper permanere, ut, cùm depulsa fuerit aqua à proprio seu nativo statu, subvenire ei possit.

Quartò: Zabarella frigus aquæ à forma aquæ manere non concedit tibi: eis, ei naturale esse modo quodam non neget. Nam quatuor, inquit, qualitates non ea ratione dicuntur singulis corporibus naturales, quòd eorum naturas ita consequantur, ut consequitur effectus causam, à qua producitur, adeò ut forma ignis producere in igni dicatur summum calorem. Hoc enim dato, non egeret elementum conservante externo, proindeque ad locum suum non mitteretur naturaliter.

Sed

Sed ea ratione naturales (essentiales item) dicuntur, quia ipsæ elementorum naturæ has qualitates requirunt, & sine his existere nequeunt. Dantur tamen illis à cœlo, & ab eodem conservantur. 2. de Qualit. Element. cap. 9: Et paulò post: Putant pleriq; qualitates (primas) provenire à formis ut à causis efficientibus; quod quidem tanquam rude dictum, & exempli gratia prolatum, admitti potest. Prodire enim videntur à formis per quandam emanationem: revera tamen non efficiuntur à formis, sed à cœlo tum qualitates gratia formarum, tum formæ per qualitates de potestate materiæ educuntur ad actum: sed pro hac sententia Zabarellæ ego non propugno.

Schegkii responsio est ad propositionem, quam non simpliciter dans 5. Topicorum loco 23. *Semper, ait, aquam, donec aqua est, frigidam esse φύσει seu δυνάμει, & calidam quidem esse actu aliquando παρὰ φύσιν, ita ut actus frigoris sit recuperabilis, seu actus frigiditatis possit denuò per naturam restitui.* Hoc verum esse docet experientia. Quantumcunq; enim aqua ab ignibus calefiat: semper tamen eam refrigescere sentimus. Idem 6. libr. ad locum 10. & 60. *Calore*, inquit, *qui in aqua est præter naturam, frigoris natura non perimitur, sed duntaxat actus ipsius qui est accidens.* Quamobrem privatio hæc frigoris in aqua inerit κατ᾽ ἀπόφασιν, & non κατὰ διάθεσιν, qua διαθέσει naturalis habitus seu φύσις quædam declaratur respectu actus frigoris aquei privati. Breviter: *Aqua propter πάθος caloris suo frigore privata est κατ᾽ ἀπόφασιν: frigore nativo non privata est κατὰ διάθεσιν* & habilitatem. Et alibi: Frigus non est proprium πάθος aquæ, sed proprium ejus accidens. Per proprium autem πάθος intelligit proprium cum subjecto reciprocum: per proprium συμβεβηκός seu accidens, non reciprocum: quia non est perpetuum. Ab utroq; accidens commune (quod subjecto est ἀδιόριστον, & pluribus inest, aut inesse potest) distinguitur. Conclusio igitur ista adversarii non subsistit: Quædam adjuncta propria à forma manantia abesse possunt, ut nihilominus horum propriorum subjecta supersint salva.

XLIII.

Disputatio de Natura motus Aristotelica ex 3. ἀκροάσ.

Respondit Johannes Rodolphus Lavaterus Tigurinus Helvetius:
Anno 1599. M. Julio.

MOtus nomen est commune ab uno (ἀφ' ἑνός.)

2. Primò convenit motioni locali, quæ græcis est φορὰ (id est latio.)

3. Φορὰν esse omnium motionum primariam, Aristoteles ostendit, seu potius demonstrat sic: Sine quo reliqui motus esse non possunt, is est omnium primus. Sed absq; mutatione loci reliqui motus esse non possunt. Etsi enim, exempli causa, aliquid quod alteratur, non moveatur ipsum loco, tamen alterius corporis motio flagitatur, nimirum solis & corporum cœlestium, ad illum motum. Ergo mutatio loci est primus motus. 8. phys.

4. Deinde convenit etiam aliis mutationibus naturalibus, ut variationi seu alterationi.

5. Postea tribuitur etiam non naturalibus analogicè seu similitudine quadam. Itaq; his motus physici declarari etiam solent.

6. Λόγος κοινότατος, hoc est, communis definitio, quæ complectitur omnem motum, qui in natura accidere potest, hæc est: Motus est Entelechia entis potentia, quâ tale: seu mobilis, quâ tale, à movente profecta: Seu est ἐνέργεια moventis in mobili: Seu: est perfectio ejus, quod perfectibile est, quâ perfectibile.

Ex Aristotele.

E Scaligero.

7. Ἐνδελέχεια, hoc est, agitatio perennis Ciceronis, & agitatio Melanchthonis hîc est ἀπροσδιόνυσος, & aliena. Quia si motus esset agitatio, idem se ipso definiretur, quod adversatur logicæ. Topic. lib. 6. c. 2. Adde quòd Aristoteles non scripsit ἐνδελέχεια, sed ἐντελέχεια.

8. Ἐνέργεια est effectio, non effectum. Sicut aliud est scriptio, aliud scriptum: aliud opera, aliud opus: Sic aliud est ἐνέργεια seu effectio, seu operatio, aliud ἐνέργημα seu effectum: Effectum significat finem seu terminum rei, seu rem productam. Effectio actionem, qua illud conficitur, ut extet, seu qua acquiritur terminus.

9. Motus fit in subjecto mobili.

10. Hoc mobile est Ens potentiâ seu potestate, id est, ejusmodi quod terminum, metam, formam aliquam nondum habet, sed acquirere vel abjicere potest, seu ad acquisitionem aut abjectionem ejus moveri potest.

11. Δυνάμει seu potentia esse dicitur, quod nondum extat, sed in eo, quod jam extat, fieri potest.

12. Hæc

12. Hæc potentia hæret in materia, & ubi δύναμις rei eſt, nondum actus, ibi materia rei tantùm eſt, nondum forma.

13. Ἐνεργείᾳ ſeu actu eſſe dicitur id, quod extat jam, & tale eſt, quale eſſe potuit, & formam certam habet jam præſentem. Aliâs: Eſſe τῇ ἐντελεχείᾳ.

14. Quod igitur tale eſt, ut ad aliquam formam ſeu metam perduci poſſit, hoc tantùm movetur, & non quod ad terminum jam ſuum perductum eſt.

15. Quare motus eſt via, itio, progreſſio, contentio ad rem, non res ipſa.

16. Si enim res eſſet jam actu ſeu re ipſa hoc, quod acquirere & aſſumere poteſt, nihil eſſet ei opus motu, ſeu non fieret motus, quo ad terminum ſeu formam illam perduceretur.

17. Contentio enim fit ad ea, quæ nondum habemus, & præſentium eſt poſſeſſio, abſentium acquiſitio, vel acquirendi conatus, non præſentium.

18. Itaq; media eſt inter terminum à quo, & terminum ad quem.

19. Additur in definitione reduplicatio ſeu Determinatio, Quâ tale, ſeu quâ mobile, ſeu quâ ens potentia. Nã motus eſt actus corporis mobilis nõ quâ corpus, ſed quâ mobile, tũ quia corpus eſt corpus per formã ſeu ἐντελέχειαν ſuam: ſed ea ἐντελέχεια nõ eſt motus: tum quia motus nõ ſolùm actus illius eſt, quod poteſtate eſt, ſed etiã ea parte illius actus eſt, qua poteſtate eſt. Seu: motus eſt rei actus, non ille, à quo res habet ut actu ſit, quod eſt, ſed ille, à quo habet, ut actu moveatur. Determinatio igitur ἐξηγητικὴ eſt τῦ καθ' αὐτὸ, quæ aliâs quoq; à philoſopho adhibetur, cùm plures rationes accidentales rei poſſunt convenire.

20. Itaq; motus eſt actus ſubjecti imperfectus, & cum potentia conjunctus: eſt perfecto media, inquit Scaliger (movetur enim corpus ut quieſcat) ut contrà, Quies eſt perfectio ultima corporis naturalis, teſte eodem.

21. Sed exemplis res eſt declaranda: 1. Æs eſt ens δυνάμει, quia eſt potentiâ idolum vel ſtatua, & tamen non ea ἐντελέχεια, qua æs eſt æs, motus appellatur. Entelechia enim eſt forma rei, quæ facit unamquanq; rem extare, & eſſe id quod eſt: Sed contentio illa, ut diximus, ſeu profectio ad formam ſtatuæ motus eſt, videlicet Fabricatio. Neq; enim

enim idem eſt, æs eſſe æs, & æs eſſe tale, ut motum certum ſuſtinere & accipere poſſit: Seu duplex eſt æris actus: alter, quo æs eſt, nimirum eſſentia & forma æris, qua res quædam actu eſt, non in potentia tantùm conſiſtens: alter, quo potentia illa æris, qua idolum vel ſtatua fieri poteſt, in actum educitur, quod fit, cùm ſtatua fieri incipit. Hic imperfectus & incoatus actus æris, (ἐνέργεια ἀτελὴς,) non ille perfectus & abſolutus, eſt motus ſeu κίνησις. (ἰδωλοποίησις.)

22. II. E nigro fit album: Profectio illa è nigro in album motus eſt variationis. Dum nigrum manet nigrum, nec albeſcere, ſeu ad albedinem tendere ullo modo incipit, moveri, variari, alterari non dicitur. Non etiam moveri, variari, ſeu alterari dicitur, ubi album jam factum eſt, & in albedinis forma conquieſcit. Intermediū igitur iter, quo à nigro abſcedit, & ad album accedit, dum ſcilicet continenter abſcedit & accedit, motus eſt, & quidem variatio ſeu alteratio, quæ actus rei eſt, reſpectu termini à quo, Nigri, qui facit, ut res in nigro non quieſcat, & in pura puta ad album potentia maneat, ſed ut in actum prodeat, & albeſcere incipiat: Eſtq; actus rei, quæ potentiâ eſt, quia nondum ad terminum, ad quem tendit, pervenit, ſed in via duntaxat eſt, & partim actu, partim potentia eſt: actu quidem, qua partem viæ confecit, partemq; nigroris depoſuit ſeu abjecit, aſſumpta albedine: Potentiâ verò, quà plus viæ illi conficiendum eſt & albedinis aſſumendum: Eſt deniq́ue actus rei, quæ poteſtate eſt, quà poteſtate eſt, quia nigrum, quod albeſcit, & cujus actus eſt motus, qui in albedinem eſt, poteſtate etiam ægrotum, doctum, vel domus eſt: ſed motus ad albedinem non ea parte, qua poteſtate doctum eſt, aut ægrotum, aut domus, illius actus & perfectio eſt, ſed quâ adhuc poteſtate album eſt, nondum ſcilicet terminum & perfectionem albi aſſecutum.

23. III. Dum Marpurgi ſubſiſto maneoque, non moveor ſeu proficiſcor Francofurtum verſus, manſioq; iſta non eſt motus, non eſt φορὰ, id eſt, latio. Nec, cùm jam Marpurgo Francofurtū perveni, & Francofurti quieſco, quies iſta motus & latio eſt, ſed ipſa profectio, qua continenter moveor Marpurgo Francofurtum. Actus igitur hæc profectio eſt, quæ ex mera potentia in actum me educit, & actus illius eſt, qui poteſtate eſt, quia dum proficiſcor & moveor, poteſtate tantùm non actu Francofurti ſum. Actus deniq; eſt, quâ poteſtate ſum, quia non quâ

homo

homo (ea enim parte actu sum) sed qua parte Francofurtum contendo, actus est, actusq; iste potestatis istius imperfecta perfectio est.

24. Itaq; Motus non est ex eo genere entium, quæ vocantur permanentia, sed successiva, quorum partes non sunt simul: est medium quiddam inter actum purum, & potentiam puram.

25. Dictis non repugnat, sed potius consentit quod in scholis dixerunt: Motus est in rebus naturalibus ratione potētiæ, nō ratione actus.

26. Significatur enim in actu perfecto motum desinere: Imperfectum autem actum, ut cùm quo adhuc sit aliqua potentia, esse motum.

27. Patet quoq; ex dictis, non esse proprias & exquisitas definitiones motus: Motus est forma in moto impressa (apud Scalig.) Aut Motus est forma fluens: Aut Motus est forma, quæ successivè per partes acquiritur (etsi dici possit ab ea perfectione, ad quam per motum fit progressio, motum nihil differre, nisi secundum plus & minus.) Motus enim propriè est illa inter terminum à quo (ut loquuntur) & terminum ad quem, seu inter agens & patiens efficacia seu ἐνέργεια, seu ἐντελέχεια, antequam ad finem & perfectionem suam perveniat.

Colligamus ex disputatione quædam axiomata & consectaria.

1. Hoc quod movetur, id est, omne mobile (quâ mobile) non est res quæ extet seu actu sit, sed est δυνάμει ὄν.
2. Nec terminus à quo, id est, unde motus incipit, nec terminus ad quem, id est, finis motus, res ipsa, ipsa forma ἀποτέλεσμα, terminus acquisitus, seu consecutio formæ metævé motus est, sed illud ad formam seu metam quasi iter quoddam intermedium, via ad rem. Unde Aristoteles vocat imperfectam quandam actionem seu efficaciam (ἀτελῆ ἐνέργειαν) quippe cum fiat adhuc, & procedat, necdum confectum sit, totumq; extet id quò motus tendit.
3. Talis igitur actus est motus, qui nondum totus extat.
4. Et in motu res paulatim desinit esse potentiâ, & tendit ad actum.
5. Itaq; motus ab imperfecto ad perfectum est.
6. Et motus & forma λόγῳ & essentia tantùm differunt.
7. Fitq; motus in tempore, non in instanti.
8. Deniq; cum forma seu meta aliqua est acquisita, motus unus desinit, & incipit alius.

9. Exemplo hæc declaro: Actu seu reipsa aqua frigida est, mutabilis & mobilis ad calorem quem non habet, sed acquirere potest. Hunc cum inducit ignis aut Sol, fit ἐντελέχεια talis, qua calor, qui inesse potest, successivè inducatur, & frigiditas paulatim exterminetur. Ita calefactio est motus, qua calor paulatim acquiritur, seu est caloris per successionem inductio. Hujus motus in aqua, ut in subjecto, causa est calor Solis aut ignis. Itaq; calor non est motus ipse: Cumq; calor est inductus, & summus quidem, atq; ulterius agit, incipit aqua ἀεροῦσθ, (qui novus motus est,) & amissa natura sua fit aër, quæ est corruptio aquæ, & generatio aëris. De quibus alio tempore.

Auctar. παρέργως.

1. Quod moveri potis est locutio commentatoris est barbara: Tu dices potestate mobile.
2. Q. An & actio & passio dici possit ἐνέργεια? Affirmo. Actio est ἐνέργεια hujus in hoc, id est, effectio: passio est ἐνέργεια hujus ab illo: quæ significantiùs affectio dicitur.
3. Motus logicus præcipuus est Διάνοια.
4. Vitiosa est definitio: Motus est forma, quæ per motum acquiritur: Nam cùm motus definitum sit, ingredi in definitionem non potest. Talis est hæc: Motus est generatio partis post partem ejus perfectionis, ad quam motus tendit: Tolerabilis est si vocem Motus è definitione sustuleris, & Tendit referas ad Generationem.
5. Pro barbarorum Tendentia ad formã, dices profectio ad formam.
6. Cùm dicitur, Motus est fluxus formæ, definitio Nominis est.

Motum non fieri in instanti (ἐν τῷ νῦν) probatur.

1. Si motus esset in instanti seu puncto temporis (quod indivisibile) omnes ejus partes essent simul: &, ex consequenti, esset de numero rerum permanentium, non in transitu fluxuq; positarum. Non posterius. Ergo nec prius.
2. Si motus esset in instanti, non pertineret ad rationem ejus successio. At hæc pertinet ad rationem Motus, teste commentatore in lib. de substantia orbis. Ergo motus non fit in instanti. Seu: In instanti non fit successio. At in motu fit successio. Ergo.

3. Omnis

3. Omnis motus est inter terminos, qui non possunt esse simul. Non igitur fieri potest, ut id quod movetur, habeat simul terminum à quo, & terminum ad quem. Motus igitur non fit in non tempore.

4. Ad rationem seu definitionem formalem motus pertinet actus potentiæ permixtus. Mobile igitur dum movetur, habet ex ratione formali motus, quòd partim habeat aliquid de actu, qui per motum acquiritur, & partim eo careat. Oportet igitur dari aliud instans, in quo acquirat illud, quo caret, & cùm inter quælibet duo instantia seu momenta medium sit tempus, necessariò motus fit in tempore. Vide P. Soncinatem lib. 12. Quæstion. Metaphys. q. 43. Ultimò. Si sine resistentia aliqua nullus motus fit in natura, necesse est motum fieri successivè. Verum prius. Verum igitur posterius: & ex [a] consequenti, non potest fieri motus in instanti: præsertim [b] cùm in instanti non sit prius & posterius. In [c] motu autem fit prius & posterius, [d] quia in eo est ordo & productio partis post partem.

a) *Consectarium syll. praecedentis: & Conclusio syllogismi sequentis.*
b) *Assumptio.*
c) *Propositio.*
d) *Propositionis approbatio.*

XLIIII.

An homo mutus destitutus sit hominis proprietate.

Axioma est immotæ veritatis, ideoq; nulla sophistica labefactari potest in animis rectè eruditorum.

θέμα καθολικόν.

PROPRIO *perempto, ut nihilominus superfit subjectum proprii incolume & incorruptum, fieri nulla ratione potest.* Schegkius lib. 5. Top. pag. 773. *Hoc* (subjectum dico) *ne quidem nomen suum* (verè) *amplius* obtinet. M. F. Illyr. lib. 2. generalis log. pag. 77. Nolo enim meis uti verbis, ne videar novum aut hyperbolicum dogma gignere.

Sed adversarius dans hîc, ut loquuntur, Instantiam: Muti, inquit, sunt homines non minùs quàm qui loquuntur, & tamen loqui non possunt.

ἀντίθετον speciale.

Itaq; quæritur: An homo mutus aut cæcus careat hominis proprietate? Affirmat adversarius, negat Goclenius.

ὑπόθεσις.

Probatio categorica, directa seu ostensiva.

Ramus dividens animal in loquens, ut est homo, & mutum naturâ, hoc est non loquens (ut est bestia) definit hominē animal loquens. Muti, id est, infantes privatione, sunt homines. Ergo muti, id est in-

fantes ſeu ἄλογοι privatione; ſunt animalia loquentia. Quod eſt animal loquens, non amittit proprietatem hominis, naturalem propenſionem ad loquendum. Homo mutus, quia homo, eſt animal loquens. Ergo homo mutus, quia homo, non amittit proprietatem hominis, &c.

Probatio Hypothetica.

Si aptitudinis actus eſſet proprium hominis adjunctum, in omnibus individuis eſſet neceſſarius. At aptitudinis actus non eſt in quolibet individuo neceſſarius. Scaliger exerc. 250. ſect. 3. qui hoc probat exemplo Craſſi, Agelaſti cognomento nobilis, quòd non riſerit. Ergo aptitudinis actus non eſt proprium hominis adjunctum.

Probatio indirecta ſeu apagoge ad impoſſibile & abſurdum.

Beſtiæ ſunt animalia non loquentia. Quia animal Ramo aut eſt loquens, ut homo, aut non loquens (quod mutum dicit) ut beſtia. Homo mutus eſt animal non loquens adverſario: Ergo homo mutus, eſt beſtia adverſario, quod erat demonſtrandum.

Sed mane Gocleni, inquit adverſarii defenſor, poſt arbuſta deliteſcens: habeo nitedulam in veprecula. Annon Nebucadnezar fuit & manſit homo, licet amiſiſſet hominis proprietatem? Animum enim ſuum ad beſtias applicuit, & cum brutis animantibus in ſolitudine degit, ut legitur apud Danielem.

Ego verò maneo: & reſpondeo: Etiamſi darentur mille μισάνθρωποι & ſolitarii, & certum ſit Nebucadnezarem inter beſtias vixiſſe aliquandiu: tamen proprium hominis eſt, convictus amantem, domeſticum, familiarem, ſociabilem eſſe per ſe & Naturâ: non verò ex neceſſitate Actu, qui ceſſavit aliquandiu in Nebucadnezare per accidens propter maniam, ut creditur, vel aliam amentiæ ſpeciem. In explicatione Oeconomicorum Ariſtotelis ſic reſpondi: ſicut naturale eſt omni perfecto animato, generare ſibi ſimile, etſi quædam individua non generent, ob ἐπιγινομένην ſeu accidentariam imperfectionem & depravationem: Et, ut licet omnes homines natura ſcire aveant, multi tamen in perpetua rerum verſantur ignorantia, propter cauſas accidentarias, naturam impedientes, ut ſenſuum ἀδυναμίαν, paupertatem, laborum fugam: Ita etſi homo πεφυκώς, & primùm conditus eſt ad ſocietatem colendam, ad quam ſermonis facultas multùm facit: tamen aliqui ſolitariam

tariam

tariam vitam agunt, hominum consortium refugientes per accidens. Evenit autem hoc vel ex singulari seu extraordinaria pravitate & appetitu bestiali, vel furore aut amentia, vel injusta tyrannorum persecutione, vel desiderio & amore perfectioris vitæ.

Non est itaq; quod Nebucadnezarem κακῶς ἔχοντα, id est, non benè animo affectum, ideoq; παρὰ φύσιν se habentem mihi objicias.

Audi potius hanc conclusionem è Scaligero meo exerc. 142. sect. 1. deductam: *Quod naturâ est, à specie est. Hoc autem immutabile.* Hominem esse convictus amans animal, naturâ est: à specie igitur (humana) ergo immutabile.

Responderunt quidam: Nebucadnezarē miraculo transformatum fuisse in bestiam. Si hoc verū, proprietas hominis in illo simul cum illo periit. Quia proprium πάθος & subjectum ejus sunt ὁμόγονα καὶ σύγχρονα, id est, simul fiunt, simul sunt, simul corrumpuntur: nō unum tempore, prius aut posterius fit, est, esse desinit. Alii non tantùm animam rationalem in eo, quoad actus humanos, ligatam seu vinctā fuisse; sed & figurā eum humanam unà cum affectibus humanis exuisse, bestialem verò figurā unà cum bestialibus affectibus induisse omnipotentis Dei vi, nec temperamentum suum invariatum retinuisse arbitrantur. Si hoc verū, proprietas etiam mutata est: quæ pendet non tantùm à vi animæ cognoscente, sed & appetente, & temperamento humani corporis, hoc est, planè efferatus redditus est, & ad statum bestiæ redactus. Sed ego neq; regem externam figuram hominis amisisse, neq; secundùm substantiam in bestiam mutatū fuisse existimo, etsi valde deformatus fuerit, & in multis simillimus bestiis evaserit. Primum temperamentum corporis Nebucadnezaris divina potentia fuit efferatum & simile factū temperamento bestiæ, ac in tantum variatum, ut tamen in eo natura humana conservari potuerit. Inde usu rationis Nebucadnezar privatus est. Hoc est cor feræ eum accepisse: quod in Prophet. Daniel. legitur. Deinde habitus corporis externus erat ferinus, nudus ingressus, neglectissimus corporis cultus, motus, gressus, situs bestialis, victus bestiarū, habitatio cū bestiis, vagatio in silvis, fuga, congressus, & domiciliorum humanorum, oris & linguæ usus non humanus. Ita ergo rex bestiæ potius quàm hominis figurā præ se tulit: vide de hoc miraculo egregiè disserentē Benedictum Pereriū in comm. in Daniel. li. 5. p. 259. usq; ad 271.

XLV.

An magnitudo seu quantitas continua sit proprium corporis, an accidens inseparabile?

Corporis seu substantiæ corporeæ proprium sine quo esse non potest, est Peripateticis *magnitudo*: ut reciproca sit enunciatio: *corpus est magnum.*

Melanchthoni est accidens inseparabile, quod ad quintum prædicabile pertinet. Accidens quidem (oppositum proprio) quia inest in alio mutabiliter: aliàs scilicet est major ut in homine adulto, aliàs minor ut in infante. Inseparabile verò quia re-ipsa à naturâ corporea separari non potest, seu ut in prædicamento quantitatis loquitur: *quia substantia corporea nunquam prorsus eam exuit.*

Hæc in Melancht. tam sunt perspicua, ut hîc adversarii nobiscum & cum Melanchthone ludentis, ac si fatui & ἀνόητοι essemus, audaciam non possim satis mirari: quam profectò si Melanchthon viveret, & obvius ipsi fieret adversarius, manicis suis castigaret. Melanchthoni, si adversario credimus, amphora instituitur, currente rota urceus exit: hoc est: Quintum prædicabile à proprio distinctum Melanchthon proponit, & tamen ita definit, ut definitio etiam proprio conveniat, & velit quædam exempla quinto prædicabili subjecta esse Proprii exempla: scilicet hoc verum est, ut verum est, quod Melanchthon licet subjiciat figuratæ prædicationi hanc: Flammæ in ore Apostolorum erant Spiritus sanctus, eam tamen velit inusitatæ exemplum esse. Lepida hæc veluti fabula est, qua simplices adversarius vult oblectare: pro qua repono hoc quod ἀληθὶς est. Proprium πάθος non inest mutabiliter sed immutabiliter: semper enim inest, teste Melanchthone & omnibus Philosophis. At accidens, quod 5. præd. est, inest in alio mutabiliter. Ergo hoc non est proprium πάθος: nec huic convenit pars definitionis præcipua (affirmata enim est, priore negata) SED IN *alio inest mutabiliter.*

Sed quid fiet exemplis? Resp. Non est κυρίως proprium accidens, ignis calor, ut ἁπλῶς & non καθ' ὑπερβολὴν (secundùm exuperantiam) ut loquuntur Peripatetici sumptus, ut intelligitur convenire non tantùm igni, sed & aliis, ut aëri. Non humiditas aquæ: ut intelligitur convenire non tantùm aquæ sed etiam aëri. Non quantitas substantiæ cor-

porex,

poreæ, quatenus nunc major nunc minor eſt, ut ipſe Melanch. ſe interpretatus eſt. Nam quantum eſſe ἀδιορίστως, id eſt, indeterminatè, proprium corporis eſt & immutabile, ſed quantum eſſe definitè, id eſt, hac vel illa quantitate accidens eſt, & mutabile. Ex longo enim longior, ex lato latior, ex profundo profundior quis poteſt evadere, vel contra? alia eſt bimuli alia trimuli quantitas, & ſuccedente nova, cedit prior. Alii Philoſophi, ut Bodinus & Scaliger, non proprium ſed commune accidens magnitudinem ſubſtantiæ corporeæ faciunt, eò, quòd etiam conveniat angelis & hominum animis. Nam, inquiunt: *Omne finitum & terminatum, eſt quantum.* Angeli & animi *ſunt finitæ ſubſtantiæ ſeu determinatæ. Igitur ſunt quanti.* Quod nunc in medio relinquimus.

Calor ignîs proprium ſuperlatum eſt, id eſt, καθ' ὑπερβολὴν: Aliâs ut ſimpliciter in eſſe intelligitur, eſt accidens.

XLVI.

An ſolum medium ſive corporeum ſive incorporeum, efficiat in motu ſucceſſionem? (ubi & de duplici reſiſtentia.) Et an Deus & mentes movere poſſint in inſtanti?

MOtum fieri ſucceſſione temporis certum eſt. Quæ ſucceſſionis cauſa ſit, dubitatur. Ariſtoteles quidem argumentum totum, quod motus de loco in vacuo non fieret ſucceſſivè, ex ſolo medio corpore, per quod hic motus fit, deducit: Verùm poteſt etiam ſucceſſionis cauſa eſſe non medium. Non itaq; ſequitur: ubi medium non ſit corporeum, ſeu ubi ſit vacuum, non poſſe ibi fieri lationem. Quid? quòd medium non ſucceſſionis per ſe, ſed celeris aut tardæ ſucceſſionis cauſam affert. Dico igitur cauſam ſucceſſionis in motu de loco & aliis eſſe intimam motus proprietatem, quæ motum perpetuò comitatur, neq; à motu ſeparari poteſt. Ea eſt reſiſtentia. Hoc eſt: in omni motu, qui propriè ſic appellatur, Reſiſtentia eſt aliqua corporis, quod movetur, ad virtutem, quæ movet, ſive intra corpus ſit, quod reſiſtit, ſive extra corpus. Unde & λόγος ſeu ratio exiſtit moventis ad rem motam. Et virtus movens niſi major ſit, quàm quod ei objicitur, & in quod actionem ſuã ut in oppoſitum ſeu contrarium exercet, motus fieri non poteſt, ſed conatus eſt & molitio virtutis inanis. Quò autem major eſt exuperantia virtutis, eo motus eſt vehementior aut celerior. Et in quibus exuperantia eſt ad rem movendam incomparabilis, aut infinita, in

Succeſſio etiam à non medio.

Accidentium ſucceſſionis cauſa eſt medium.

Cur non fiat in natura motus in inſtanti, ſed temporis ſucceſſione.

tis subitò & derepentè motus fieri potest, tàm in cæteris generibus omnibus motus, quàm in ea motione, quæ est φορά, ut cũ divina aut bonorum vel malorum angelorum virtute aliquid de loco in locum transfertur. Sic Danielis 16. cap. scribitur, Habacuc fuisse translatũ ab angelo impetu spiritus sui: Qui motus non est naturalis, sed captum naturæ superans, ideóq; ad physica nihil pertinet. Hæc igitur resistentia causa est successionis in motu successivo. *Estq; resistentia duplex: Una, quæ ratione corporis fit, quod movetur vel ab intelligentiis:* (si Aristoteli credimus) *vel ab anima.* In cœlestibus igitur & animatis causa resistentiæ est corpus ipsum in quod agit vis illa interna vel assistens. *Alterum genus resistentiæ est à medio*, quæ fit & in animatis, quæ moventur localiter, & in cæteris corporibus inanimatis omnibus, quibus tantùm est localis motus naturaliter insitus. In his enim inanimatis nihil est aliud, quod motui resistat, præter medium, in quo feruntur. Atq; ita causa successionis in talibus est solum medium interjectum, quod non tantùm efficit hoc, ut tardior aut velocior sit motus, sed omninò ut sit & fiat motus, efficit. Hoc autem medium corpus esse oportet. Nam quod corpus non est, resistentiam facere naturaliter non potest. Atq; ita quæ non feruntur per medium corpus aliquod, quod est vacuum, in non tempore moveri possunt. Quæ igitur in omni motu esse oportet medium & resistentia, ea in his conspirant: (quod vulgò dicitur, coincidunt) ut causa & resistentiæ & successionis sit solum medium. Et si conceditur medium posse causam esse tarditatis & celeritatis in motu locali, eo ipso conceditur etiam quòd sit causa successionis. Nam tarditas & celeritas quid sunt aliud quàm lenta & velox successio partium? Quod autem cœlum dicitur moveri successivè, in quo nulla sit medii resistentia, rectè dicitur. Nam in sese resistentiæ causam habet, cùm sine resistentia motus nullus fiat in natura. Et κυκλοφορία motus peculiaris est & mirificus. Motus hic de loco propriè dici nequit, cum neque ad centrum, nec à centro, sed circa centrum moveatur cœlum.

Motus hyperphysicus Habacuc.

In inanimatis fit resistentia à solo medio.

Resistentia est causa quòd motus fit successivè.

Porrò quòd paulò antè dixi, ab Angelo subitò translatum Habacuc, id non est intelligendum de motu momentaneo, seu translatione facta in momento punctoq;, quod indivisibile est, temporis, sed de vehementissimo valdeque concitato, hoc est, celerrimo motu. Sic cùm dicitur, Lucis motum fieri subitò vel repentè, id non intelligo de puncto tem-

cto temporis seu non tempore: (etsi subitò & repentè interdum accipiantur pro puncto temporis.) Non enim puto lucem ab oriente in occidentem ferri in instanti, etsi multi contrarium teneant. Omnis motus est divisibilis: Et: Transitus à termino à quo ad terminum ad quem in instanti propriè dicto & præcisè sumpto est ἀδύνατον. Disputat Soncinâs etiam primam causam cœlum movere non posse in instanti. Ac cùm objicitur: Omnem effectum, quem possunt agentia secunda producere in tempore, potest prima causa producere in instanti. Ergo quemlibet situm potest in quolibet corpore in instanti efficere. negat antecedens de rebus successivis, cujusmodi sunt Motus & tempus, cùm hoc repugnet rationi seu definitioni eorum.

XLVII.

An effectus latiùs pateat quàm Motus?

PETRUS Ramus Motum subjicit effectui, movere igitur specialius quid est, quàm effectus. At Aristoteli lib. 1. de ortu movere & moveri latius patent quàm agere & pati. Quæstio igitur est, utrum movere latiùs se fundat quàm efficere?

Respondeo: efficere seu ποιεῖν constituitur unum è prædicamentis seu summis. Comprehendit igitur omnem actum, tum perfectum & absolutum, qui ἐνέργεια dicitur: tum incoatum & imperfectum, qui κίνησις. Efficere igitur latiùs patet quàm movere. Falsum igitur est pronunciatum Aristotelis de generatione, nisi ibi accipiatur vox Efficere specialiter pro Mutare secundum qualitatem: Mutatio autem secundum qualitatem non genus, sed species est motus. Atq; sic effectio ad pauciores res pertinet, quàm motio.

XLVIII.

An Generatio & corruptio sint motus? Aristoteles negat.

ANtequam hæc quæstio explicetur, generatio ea quæ simplex vocatur, ab alteratione distinguenda est. Cùm generationem in hac disputatione dicimus, eam, quæ propriè & absolutè generatio est, intelligimus. Nam & alteratio est generatio quædam, quædam, inquam, hoc est, non simpliciter, sed cum adjunctione quadam. Cùm

enim corpus aliquod ex nigredine in candorem mutatur, quæ alteratio eſt, non dicimus abſolutè corpus fieri, ſed adjungimus, corpus fieri candidum. Generatio autem propriè dicta mutatio eſt quæ ad ſubſtantiam pertinet, & aliud facit. Alteratio verò eſt mutatio pertinens ad qualitates & faciens ἀλλοῖο, id eſt, quodammodo immutatum. Sic Telemachus apud Homerum vocat patrem ſuum à Minerva in accidentibus mutatum, non ἄλλον, ſed ἀλλοῖον, id eſt, non alium, ſed alteratum, ſeu variatum, cùm ſubjectum manſerit unum & idem numero. His præmiſſis tenendum, doctrinam Ariſtotelis eſſe Generationem (intellige, ut dixi, propriè abſoluteq; dictam) & corruptioné non eſſe Motus, ſed Mutationes: γένεσιν καὶ φθορὰν, non eſſe κινήσεις, ſed μεταβολάς. Nam etſi cùm minus exquiſitè loquitur, ſine diſcrimine alicubi motus & mutationis vocabulis utitur, & motus etiã voce de ea mutatione, quæ eſt ortus & interitus ſeu γένεσις καὶ φθορά, cùm ſine motu fieri nõ poſſint: Tamen poſtea in definitionibus exquiſitis, quæ ſunt ἀκριβολογίαι, hæc diſcriminat. Utitur autem præcipuè hoc argumento, quòd γένεσις non ſicut motus in re ſubjecta hæreat, ſed novum ſubjectum conſtituat. Nam ante generationem nondum extat id quod generatur: (Nihil enim eſſet generatione opus.) Sed illud tantùm extat, quod aliud fieri & interire oportet. Nam generatio unius eſt corruptio alterius. Oportet autẽ qualitates priores mutari per variationẽ ſeu ἀλλοίωσιν, antequam forma & ſubſtantia nova emergat. Forma igitur ſecundum Ariſtotelem tum inducitur, cum ἀλλοίωσις ſeu alteratio (quæ apparatus tantùm eſt ad generationem, non generatio) materiam priſtinam ſic mutavit, ut nihil habeat priſtini, cùm duæ formæ in una locum non habeant. Et tunc ſublata materia priore, & cum hac forma etiam priore illa, quæ ἐνεργείᾳ fuit, ſubit in materiam primam, quæ eſt ſedes generationis, forma nova, quæ δυνάμει in materia priore infuit, & tum incipit actu eſſe, atque paulatim poſtea progreſſu temporis perficitur, non generatur: cùm motus illi incrementorum & perfectionis fiant non in ſubſtantia, ſed accidentibus hujus, ut quantitate & qualitate: id quod Ariſtoteles ſenſiſſe videtur. Hanc igitur formæ emerſionem ſeu productionem momentaneam eſſe oportet, cùm materia & forma non ſint ſeparabilia τῇ ἐνεργείᾳ, neque actu, ut loquuntur, ullo tempore, informis materia eſſe poſſit, Momentum verò ſeu inſtans non eſt tempus,

ſeu

ſeu eſt non tempus, ut ſcholarum formulis utamur. Sicut punctum non eſt magnitudo, neq; unitas numerus. Motus autem fit in tempore. Neque γένεσις eſt illud ad formam iter & imperfectum in motu, qui eſt ἐντελέχεια ἀτελής: Sed formæ inductio eſt finis motus, quodque motum & illas ἀλλοιώσεις præcedentes ſequitur: atqui ita quietis & ſtatus potius cujuſdam, qui ex motu profectus eſt, & conciliatus, quàm motus rationem habet. Finis autem & diverſum eſt ab eo, cujus eſt finis, & ἀδιαίρετον. Itaq; ut ἐνέργειαι ſenſuum & aliæ, ſic etiam μεταβολαὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς non ſunt motus Ariſtoteli, cùm fiant in non tempore, ut loquuntur, ſeu in inſtanti & puncto temporis. Quæ ut rationibus confirmantur, ita de exemplis, quæ ſub ſenſus cadunt, aliquo modo doceri poſſunt. Nam ut incrementa in creſcentibus ſtirpibus & animalibus non fieri, ſed facta eſſe deprehenduntur, & in motu de loco, qui eſt φορά, magna celeritas oculorū aciem effugit: Ita verbi cauſa, generationem glaciei ſeu conglaciationem fieri nemo videt, ſed factam & augeſcentem: quòd ſit ſubita generationis mutatio & momentum hujus. Et qui circulum deſcribit, tum primùm deſcripſit, cum clauſit lineam ambitus ſeu περιφέρειαν: nam antea arcus ſunt adhuc circuli: concluſionis autem illius eſt momentum. Ita & in momento butyrum fit de lacte, ubi motu incaluit.

Non videmus herbam fieri, ſed factam eſſe.

Ad hæc accedit argumentum illud ex fundamentis 1. philoſophiæ, quo tamen Ariſtoteles in his probationibus non utitur: Subſtantiam non recipere magis & minus: Nam pullus non eſt magis equus quàm adultus, & in pullo creſcit & augeſcit non ſubſtantiæ ratio ſed accidens hujus, quod eſt quantitas hujus. Sicut digitus aut manus in infante non fit magis digitus aut manus, cùm excrevit ad juſtam magnitudinem, ſed digitus aut manus major. Et homo adultus an infante magis homo dici poſſit, quæritur: cùm in infante ſit hoc totum, quod hominis naturam conſtituit, ſed exerere ſe illa intelligendi vis nondum poſſit, humido adhuc nimis & laxo cerebro. Et forma ἀτελὴς tamen eſt forma. Hoc tamen fundamēto Dial. in hac diſputatione utitur Ariſtoteles, non fieri motum κατ' οὐσίαν, quod nihil ſubſtantiæ contrarium eſt: Quod in præſentia ad explicandas cauſas & fundamenta ſententiæ Ariſtotelicæ, γένεσιν καὶ φθορὰν non eſſe motus, ſed μεταβολὰς ſatis ſit, cùm poſſent argumenta ex ipſius doctrina proferri alia multa. Quòd ſi de

generatione res obtinetur, etiam περὶ φθορᾶς verum erit, quæ huic opponitur: quando igitur à quibusdam recentioribus physicis hoc dicitur: formas substantiales habere partes seu gradus, & paulatim plures gradus acquiri, seu formas sensim perfici, atque ideò γένεσιν etiam esse motum & fieri in tempore: κατάχρησιν esse popularem accipimus, fugientium disputationes subtiles & minutas, ut generationis vocabulo abutantur de ea, quæ hanc proximè antecedit, & vulgò alteratio appellatur: seu accipiant, usum loquendi secuti, vocem generationis ad significandum tractum illum, qui inter primum ingressum præparationis, quæ fit ab accidentibus, atque momentaneam formæ introductionem interest. Quæri enim potest, substantiæné an accidentium illi gradus sint, illaque generatio, quòd forma introducta & præsente non magis res generari, sed excoli atque perfici videatur, increscentibus accidentibus, ut diximus. Illas igitur extremas ἀλλοιώσεις, quæ formæ quasi emersionem præcedunt, si generationis vocabulo appellari patiamur, & formæ extantis seu productæ non jam amplius generationes, sed quasi expolitiones quasdam esse, erit de verbis, non de re controversia: & quod formæ alii tribuunt, alii accidentibus tribuisse videntur. Neque possumus rem interpretari commodius, id quod in præsentia potissimum agimus. Aristotelicæ tamen doctrinæ, ut iterum dicamus, sententia esse videtur hæc: formam excoli & veluti expoliri, non gigni: ut quando ex grano fit germen seu herbescens viriditas ex semine fœtus animalis: tum igitur, ut generatio facta esse dicatur, & generationis hujus punctum sit, quod ut ἀδιαίρετον, sub sensus & in tempus non cadat, & punctum sit temporis, illud nimirum, quando soluta grani aut seminis forma substantiali, gramen aut embryo esse incipit, etiamsi oculis de specie pristina aliquid adhuc appareat. Neque enim semen & id quod de semine producitur, reipsa simul extare integra possunt utraque: dum utrumque extat, seu actu est, neutrum extat perfectè. Hic igitur transitus à potentia ad actum, à virtute ad rem ipsam, momento fit Aristoteli. Ut gramen & embryo momento etiam incipiunt, neque sensibus res comprehendi potest. Quantumvis autem parva sint & minuta gramen & embryo, cùm esse incipiunt, & esse tamen primum, &, quod

consequens est, quantitatem habere oportet utrumque, antequam crescant & augescant, & postquam nata sunt ex herba & embryone in culmum & fœtum excrescunt plenum & perfectum: Quæ jam non fuerit φύσεις propriè, sed ejus quod natum est quasi quædam expolitio: ita herba seu gramen de grano enatum est culmus inchoatus, embryo fœtus ἀτελὴς seu inchoatus, quæ crescendo & augescendo perficiuntur: illa in spicam cum granis, hic in animantem vivum. Quod cum factum est, semina utriusque jam pridem perierunt. Neque cum pullus est album ovi amplius apparet, sed vitellus tantùm, quo pullus alitur. In granorum tamen genere semen quod est granum ipsum, tantisper cum specie evidenti aliqua manere solet, dum ex grano germen fiat: quod in semine animantium fortassis similiter fit. Hoc modo resolutio fit Aristoteli ad primam materiam quæ mente tantùm percipitur, non sensu, cùm nullo tempore reipsa seu actu extet hæc materia, sed illo tantùm momento temporis, quo fit generatio aut interitus rei, quod in doctrina de principiis explicatum est. Hæc dicta subtiliter excogitavit Aristoteles ad explicandam rationem γενέσεως καὶ φθορᾶς, qui ad mentis contemplationem eam abducit, quòd sub sensus in hac non cadunt omnia. *In Physicis autem à materia quidem non receditur, sed quæ in hac fiunt non sunt omnia sensibus exposita.* Ut tamen de ortu & interitu rerum ita doceret Aristoteles, & hæc non motus, sed mutationes esse sentiret, causas videtur præcipuas habuisse has: primùm, ut ad punctum quoddam extremum res adduceretur, ubi mens & intelligentia statu facto insisteret, & scientiam adipisceretur: quæ propterea ἐπιστήμη appellata putatur. Deinde ut conserventur hæc principia, de nihilo non fieri aliquid, quod de natura præsente & in rebus conditis verum est, & alterum neque ἐκ τοῦ ὄντος, neque ἐκ τοῦ μὴ ὄντος fieri γένεσιν, id est, neque ex ente neque ex non ente fieri generationem. Tertiò, ut maneant inconvulsa non tam Dialectica principia: substantiam non suscipere magis & minus, (quanquam hoc axioma est primæ philosophiæ potius quàm Logicæ: cùm Logica propriè non agat de notionibus primis, sed secundis: Prima autē philosophia explicet de primis:) & nihil esse huic contrarium. Nam his non tam movetur Aristoteles ut γένεσιν neget esse motum, sed

ut doctrina physica de tribus principiis non convellatur: Atque hoc modo conservetur formula philosophiæ certa aliqua, sibiq; per omnia consentiens. Dicere autem consentanea, id est, ut Plato scribit in Gorgia: λέγειν ἀκόλουθα, præcipua laus est sapientiæ & doctrinæ. Repudianda autem est doctrina de principiis physicis Aristotelica, aut hoc simul concedendum, quòd forma non generetur, & γένεσις & φθορὰ non sint motus, neque fiant in tempore. Aristotelis sententiam sequitur Scaliger exerc. 290. Non, inquit, est generatio in tempore, si generatio est formæ introductio, si forma est indivisibilis. At verum est posterius. Ergo generatio non fit in tempore. Non igitur est motus. Et paulò pòst: Generatio est finis aliorum motuum, est alia species à motu, è 5. 6. & 8. physic. Arist. Et paulò pòst: Si posset non ens moveri, generatio esset motus: quia generatur id quod nondum est: γίνεται γὰρ τὸ μὴ ὄν, ex. 11. supremæ philosophiæ Aristotelis.

Averroes tamen, & Albertus, & cæteri qui hoc negant (in his est Johannes Bodinus) à sensibus non recedendum putarunt, ideoq; semina etiam κατὰ σώματα esse judicarunt in iis quæ ex his enascuntur. Ut: membrũ spermaticum nõ habet de corpore seminis aliquid Aristoteli, sed est novum corpus ex semine factum, quod qualitates tamen habet seminis. Ita enim fit quod Hyppocrates scribit, ut ex ægrotorum semine morbida corpora: ex rectè valentium firma nascantur. Sed Averroi contrà habet de substantia seminis aliquid membrum spermaticum.

Bodino extrema formæ perfectio acquiritur momento.

Johannes Bodinus, etsi formas acquiri ac perire momento neget: extremam tamen formæ perfectæ adeptionem momento fieri concedit. Quid? quòd & ipse Scaliger exerc. 6. sect. 13. distinguens creationem à generatione: Generationem ait non nisi in tempore fieri, idq; apparata materia propter antecessionem alterationis: Et hæc quidem sententia probabiliter sustineri potest.

XLIX.

An oporteat τὸ κινοῦν *(movens)* καὶ κινούμενον *(& motum)* ἅμα εἶναι *(simul esse) quod scribit Aristoteles: ideoq; esse contigua.*

Respondit Johannes Rodolphus Lemannus Helvetius Tigurinus, Anno 1599. 3. Augusti.

Ut agentia efficacia sint in patientibus requiruntur
- Proportio *agentis ad patiens.*
- *Contractus*
  - *Corporalis, proprius & verus. Quidam hunc vocarunt Mathematicum.*
  - *Virtualis. Improprius & quasi.*
- *Habilitas subjecti.*
- *Mora.*

EXPLICATIO.

UT corpora, quæ agendi vim habent & efficacitatem, effectus suos producant, quatuor potissimùm requiruntur.

Primùm, ut λόγον seu rationem habeant inter se virtus in efficacibus seu agentibus, & quòd hanc excipiat.

Secundò, ut vel superficies se contingant utriusq; corporis, & nihil inter hæc medium intercedat prorsus: vel si hoc non fit, aut fieri potest (sicut Sol & hominis corpus loco & superficiebus conjungi nequeant) saltem tale nihil intercedat, quod virtutem agentis possit intercipere aut avertere. Alia enim corpora efficacem suam virtutem ex intervallo exercere possunt: alia non item. Illis justum intervallum necessarium est: In his verò requiritur, ut sint contigua iis, in quæ agunt, & uno in loco. Hoc est quod Aristoteles scribit: Movens & quod movetur simul esse.

Tertiò, ut in quod actio exercetur, ejusmodi sit corpus, quod idoneum sit & habile ad virtutem seu efficaciam alterius excipiendum.

Quartò, ut justum tempus actioni concedatur.

Sed, ut revertamur ad secundum, *cùm quæ simul sint seu uno in loco corporum superficies.* (Nam corpora duo simul esse non possunt) *eas etiam contiguas esse oporteat, & vicissim: Quomodo simul erunt aut se contingent ea, quæ ex intervallo actionem suam exercent, & quorum superficies prorsus conjungi non possunt?* Respondeo. Hoc in scholis sic explicant, ut duplicem faciant contactum, & quidem unum corporum seu corporalem vocent: Alterum virtualem.

Ἅμα, id est simul & ἅπτεσθαι id est tangi, seu contigua esse, sunt reciproca, seu ἀντίστροφα.

Est igitur in scholis contactus corporalis, quando duorum corporum extremæ superficies simul sunt in uno loco, & quod consequens est,

Explicatio quæstionis: quomodo universè

verum sit: quod movet & quod movetur sunt simul.

est, nihil inter has interjectum est. *Hic est contactus superficierum sine medio, ut talia & contigua sint & simul, seu ἅμα*, id est, *uno in loco*: Sicut terra fovet & educit semina, & aqua humectat: sed utrumq; tantùm ea quæ attingit. Huc pertinet, & de hoc contactu intelligitur axioma: illa se tangunt, quorum ultima sunt simul. Separata contrà dicuntur, quæ nō sunt simul, id est, in eodem loco proprio. Quia verò etiam afficiuntur inter se corpora multa in natura quæ non sunt contigua, id est, quorum superficies non se contingunt, neque in uno loco aut simul sunt, aut esse etiam possunt: Itaq; contactum quendam virtualem nominarunt, atq; introduxerunt. *Hic est cum non superficies, sed virtus unius corporis ad superficiem pervenit alterius*: qui propriè non est contactus, neque appellari potest. Nam & dissita sunt corpora καὶ χωρὶς, non uno in loco, & interjectum atq; medium est, quod inter ipsa intercidit. Et hæc virtus, quam ex intervallo fundunt corpora, qualitas est corporis expers, in qua sola inest efficacitas. Quæ verò corpus non habent, in iis non potest esse contactus, cùm non sit superficies. Tangere enim aut tangi nisi corpus nulla potest res, secundum Lucretii versum. Itaq; neq; virtus illa quæ est per intervallum efficax, sive lumen sit, sive radius, sive manifesta sive occulta alia qualitas, tangere aut tangi propriè potest, cùm non sint corpora, neque superficiem habeant. Etiam ad actiones in talibus non est opus eo qui & solus & verè contactus est, atq; appellatur: cùm absque hoc & ex intervallo actiones suas exercere possint. Sed impedimentorum tantùm remotione in his opus est, quæ virtutem occultam aut manifestam efficacis corporis ab altero corpore, quod actionem ejus excipiat, intercipere possint aut avertere. Hæc exemplis explicari possunt hoc modo: Sidera cum corporibus nostris & elementorum globo non sunt contigua, multò minus unum corpus cum his aut continua. (Nam quomodo τὸ πᾶν συνεχὲς dicat Aristot. alibi est explicatum) & tamen virtutem suam in elementorum globum & corpora universa subjecta exercēt lumine, motu, qui lumen advehit & occulta virtute. Lumen enim & radius horum manifestè efficacitatem suam exercere intelligimus in corporibus subjectis, quando ea his exponuntur. Quando autem afficiunt ea, quæ non sunt lumini & radiis ipsorum per se exposita, id aut ex aëre affecto radiis, qui corpora postea proximè ambit: aut occulta virtute influente hoc fieri

oportet,

oportet: in iis ſcilicet quæ ex aëre affecto affici non poſſunt, quod abſit ab his longius, neque attingere ea ſua ſuperficie poſſit. Ut cùm ſtellæ in intimis terræ locis metallorum γένεσιν adjuvant, & in ſimilibus aliis. Eſt etiam quædam vis radii peculiaris & propria, quam aër à radio affectus præſtare non poteſt: quod multis argumentis doceri poteſt, quæ in præſentia colligi non debent: & qui ſine integumento ſub radiis Lunæ (liberè & ſine impedimento progredientibus) dormiunt; iis ſomnus periculoſus eſſe traditur, præſertim ſi corpora habeant humida & πληθωρικὰ (id eſt, humoribus redundantia) aut cerebrum malè affectum. Sed & his ipſis & cæteris, qui parietibus & feneſtrarum valvis, aut alio modo teguntur, à radiis non eſt idem periculum. Et, quod ſingulare eſt, Epilepticum fuiſſe accepimus, quem morbus invaderet, quoties Lunam intueretur. Itaq; alia in effectionibus ſiderum averti poſſunt, alia non poſſunt. Virtus ζωτικὴ ſeu vitalis Solis, & φυτικὴ Lunæ, quæ & æſtus commovet marinos, & humiditates auget in corporibus, arceri non poteſt. Nam per aërem & nubes hanc exercet cœlo tam nubilo, quàm ſudo: ſicut neque terræ denſitas ac opacitas hîc obſtat in metallorum, ut auri & argenti, generatione: ſed calefactio Solis arceri poteſt inhibitione ac averſione radii. Sic in cellis ſubterraneis arcetur calor radii ſolaris & aëris ab hoc calefacti à vaſis vinariis, ne vina corrumpantur. Sed Lunæ virtus, qua humorem auget in uvis, quando vinum, ut noſtrorum hominum conſuetudine fieri ſolet, his ſuperfuſum eſt, arceri non poteſt, cùm Luna plena aërem, aër vaſa & vinum in his, atq; ita vinum uvas afficit. Sidera igitur quæ efficiunt in ſubjectis corporibus, non efficiunt per contactum, qui propriè ſic appellatur, ſed lumine & occulta virtute (vulgò influentiâ) quæ non ſunt corpora, (ſed corporum accidentia.) In corporibus autem tantum eſt contactus, ut diximus. Et tria hæc (lumen, motus, vis occulta) in quibuſdam ſunt per ſe efficacia: In quibuſdam per aërem interjectum, aut corpus aliud, quod afficiunt. Hic in doctrina Scholaſtica contactus virtualis dicitur. Sed non tantùm ſidera, verùm etiam alia corpora multa in natura per virtutem agunt: ut ea omnia in quibus eſt συμπάθεια & ἀντιπάθεια, & quædam etiam ex genere eorum, quæ contagiones appellantur, cùm non fiat corporũ contactus, ut in certo genere lippitudinis afficiuntur oculi eorũ qui lippum intuentur, & in febribus peſtilentibus & phthiſi

aliquando, qui in iisdem conclavibus habitant: & Magnes trahit ferrum ex invervallo (justo tamen, quod semipedis fere spatium est:) Sic succinum allicit paleas, cùm frictione calorem concepit. A naptha ignis intervallo disjunctus trahitur. Torpedo piscatoribus reti vel etiã virga piscantibus stuporẽ ac væcordiam mirabilem injicit. Non igitur contactu sed virtute: vel, ut loquuntur, virtuali contactu, nõ corporali.

Ignis utroq; modo suam efficacitatem exercet, virtute & contactu. Calefacit enim etiam ex intervallo, &, quod consequens est, sine contactu tunc quidem, sicut etiam in lebete & lebetem, & per hunc, aquam calefacit. Sunt enim contigua, ignis lebeti, lebes aquæ, & superficies, qua se contingunt, simul sunt, seu uno in loco, sed non etiam ignis & aqua se contingunt, seu simul sunt superficiebus suis, neque corporali contactu ignis aquam calefacere potest, ut corpus seu substantia ignis maneat: Etsi aliqui sic loquuntur, ut aquam in lebete ab igni tangi dicant per intermedium, impropriè saltem, si non absurdè. Si enim contactus est corporum, nihil est medium: ut appellatio contactus per medium contrarium habeat in adjecto, sicuti veteres Dialectici loquuntur. Neq; distinctionem talem facere licet, contactum corporalem alium fieri sine medio, alium cum medio, cùm, qui non sine medio, sed per medium fit, corporalis esse desinat, & virtualis fit atq; appelletur.

An aqua in lebete tangatur ab igne cum calefit?

Ex his igitur statuatur de eo quod in elementorum physicorum lib. 3. Ph. Melancht. est: An, cùm ignis calefacit corpus remotum per aërem contiguum, contactus ille corporalis appellari debeat. Neque enim Melanchthon hoc ibi dicere voluit, esse hunc contactum virtualem: Imò si hoc diceret, ferri non posset: Sed hoc significat, aëris ab igne calefactionem esse ex contactu corporali: sed corpus tertium, quod ex aëre per ignem calefacto incalescat, hoc igitur ex contactu ignis virtuali, non corporali, calefieri. Sic sensuum organa percipiunt res objectas ex intervallo (verbi gratia, medium in visione inter oculum & rem objectam visilem requiritur) ut exerceant actionem suam inter se sensus, & quæ his percipiuntur, virtute, non contactu: seu contactu virtuali. Ergo ut tandem hanc disputationem concludamus: *Simul sunt Movens & quod movetur, hoc modo, ut vel superficies se contingant, vel ut unius virtus ad superficiem, atq; ita in corpus alterius perveniat*, sive lumine hoc fiat, sive radiis, sive qualitate aut modo occulto alio, qui est contactus

An contactus fit corporalis, cum ignis calefacit corpus remotum per aëra.

ctus virtualis: ut ſint quædam corpora ſimul non loco, & contigua non ſuperficiebus, ſed virtute, quæ propriè non eſt σύναψις (id eſt contactus:) Ita aliquantò cautiùs loquitur Ariſtoteles, cùm dicit: τὸ κοινῦν καὶ κινούμενον oportere eſſe ἅμα: quàm quòd in ſcholis dicunt: Movens & motum oportere eſſe ſimul per contactum: cùm actionem in ſeſe exerceant mutuam corpora multa, quæ ſunt ſimul virtute tantùm, atque ita ſimul non per contactum: vel per contactum quidem, ut ſcholæ loquuntur, ſed VIRTUTIS, NON CORPORIS: ideoq; ſæpè falſum ſit hoc: *Agentium & patientium extrema ſeſe contingunt.*

Ex his judicari facilè poteſt de eo quod Bodinus in lib. 2. Theatr. Naturæ diſputat: Non eſſe generatim verum hoc axioma: Non eſt vis aliqua agentis in patiens, niſi ſe ipſa contingant: eò quòd videamus agentia longo ſæpè intervallo divelli ab iis quæ patiuntur. Antequam autem ad alia tranſeam, ſtrictim dicam de duabus quæſtionibus: 1. Quæri poteſt: ſi eminus vides hoſtem, etſi hic viciſſim fortè te non videat, tamen repentè commoveris, impalleſcis, omnibus artubus contremiſcis, toto corpore horres: & hic motus animi ab agente externo, hoc eſt, à ſpecie objecti hoſtis oculo recepta, & ad ſenſum interiorem delata, in mentem primùm, ab ea in corpora deinde derivatur: qualis hic contactus eſt?

Reſp. Eſt Metaphoricus & ſimilis affiniſve contactui, quem vocant, Virtuali: cùm agens longo hic intervallo divulſum ſit à patiente.

Cur nonnunquam contactus corporalis dicatur Mathematicus?

Secundò quærat fortaſſe aliquis, cur quidam Phyſici, quos ſecutus eſt Melanchthon, contactum propriè dictum vocent Mathematicum? Reſpondeo: hoc ideò fieri, quia in contactu propriè dicto unum corpus tangit alterum per immediatam ſuperficierum applicationem.

TABELLA.

- *Contactus*
  - *Phyſicus*
    - *Proprius: Corporalis. Hunc quidam vocarunt Mathematicum, propterea, quòd corpora ſe contingant per ſuperficies. Ad eum pertinet, quòd Ariſtoteles dicit univerſum* συνεχὲς. *Nam voce continui utitur populariter &* ἀκυρεστέρως, *pro contiguo, & ſignificat ſuperficies corporum mundi ita conjungi, ut nihil ſit medium, & vacuum ab univerſo excludatur.*
    - *Improprius: Virtualis.*

Mathematicus, qui propriè est rerum à materia abstractarum, & fit in puncto, sicut linea lineam, globus globum attingit.

L.

Mundi seu universi partes cùm sint contiguæ, quomodo Aristoteles dicat superiora cum inferioribus corporibus esse continuata?

CORPUS nostrum unum est non συνάψει seu Contactu (quem scholæ σωματικὸν dicunt) sed συνεχείᾳ, id est, Conjunctione continua: Mundi contrà partes unum sunt, non continuitate, sed contactu & coaptatione. Continua autem sunt quorum unus est terminus. Hic enim terminus est qui continuat partes inter se ita, ut quod principium unius partis est, sit finis alterius. Quid ergo est, quòd Aristoteles cœlestia & elementaria scribit esse συνεχῆ? Respondeo: verba Aristotelis accipienda esse cum moderatione aliqua, nempe continuata esse inferiora corpora cum superioribus, non propter vel formæ unitatem, vel quantitatis unionem, sed propter illorum efficientiam, horum autem receptionem, hoc est, propter contactum virtutis cœlestium & sublunarium recipientium eam virtutem, & ita συνεχῆ esse πῶς & impropriè. Quare dextrè etiam intelligendum quod Scaliger exerc. 5. distinct. 1. ait: Mundi unitatẽ in continuatione consistere. Intelligere eum per continuationem puto connexionem. At verò inquis: Continuitas est affectus consequens immediatè unitatem. Mundus est unus. Ergo unus continuitate. Resp. ad Majorem: Continuum insequitur unum unione formæ informantis. Ad assumpt: Mundus unus est non unione formæ informantis, sicut neq; unione materiæ, sed ordine, σχέσει, & συμμετρίᾳ seu ἀναλογίᾳ partium: seu congerie, collectione, aggregatione ordinata naturarum è quibus constat: seu: Unitas universi est propter ordinem partium inter se. Scalig. exerc. 6. distinct. 2. Et paulò pòst: Si quærat quis, ad quam unitatis rationem referatur universum? Respondebo: ad unitatem ordinis eorum quæ ab uno ducta principio (efficiente) in eundem unum (Deum) tanquam in finem proprium deducta conveniunt & inter se & in illo. Idem Scaliger acriùs hæc considerans, duas facit Ideas formarum mundi: Unam particularem, suam

Scalig. exer. 5. dist. 7. Mundus non est una forma informatus.

cujusq;

cujusq; speciei, ad generationem, motum, prorogationem in iis, per quæ Mundus sit non unus. Aliam universalem, ad conservationem unitatis, & addit, formam particularem, puta ignis vel aëris, qua ascendit, parere seu obedire universali formæ, qua unus sit mundus. exer. 5. dist. 1. Vide & Zabarellam lib. de constitutione Physicæ cap. 16. Nos enim de his nunc translatitiè: angustiis temporis altiore cogitatione exclusi.

LI.

Cur Aqua fervens exiguo igne calidior non est, etsi magis urat quàm ignis exiguus? Et an ignis sit calidior ferro candente?

PRo ingenii mei copiolis explicabo quod diu dubium me habuit: An ignis in aqua ignita seu fervente calidior sit, quàm ignis exiguus? Et (quod minorem habet dubitationem:) An ignis calidior sit metallo ab igne summè calefacto? Aristoteles sentit aquam fervidam igne exiguo esse calidiorem. Forsan quoq; dixeris ignitum ferrum calidius esse igne ex eo, quòd fervens aqua magis urat quàm parvus ignis. (Sicut & ferventissimum metallum magis quàm ignis extra hoc urit.) Quod autem magis urit, videatur esse calidius. Nam fortior actio est à fortiori qualitate. At ego contrà dico: non necesse esse, fortiorem actionē seu fortius effectū esse à fortiori qualitate, nec necesse esse id, quod ardentius urit, esse eo calidius, quòd minus ardenter urit. Potest enim fortior majorq; ustio esse à partiū ignis propinquitate, frequentia, coagmentatione, cohæsione, coactione, conjunctione, unione, non qualitatis ignis intensione. Ac sic argumentor: 1. Ignis semper sui similis & ex se calidus est. Aqua verò frigore concrescit paulo momento: & calescit per accidens, & per seu propter aliud: sic & oleum. Ignis igitur calidior aqua fervente. 2. Propter quod unumquodq; tale, illud magis magis est tale. Metallum est calidum propter ignem: calescit enim ab igni. Ergo ignis calidior est metallo. Addo, magis urere ferrum ferventissimum quàm ignem, quia ignis efficacior est in denso corpore, quàm tenui: Ac quò corpus solidius & densius est, eò ardentiùs inflammari. Ardentiùs urit ignis in ligno quàm in culmo, in ferro quàm in ligno, in raris partibus ferri nondum laborati, quàm partibus malleo condensati.

Ignis per essentiam calidior

est. Ferrum per participationem & unionem accidentalem.

densati. Itaq; hic major efficacia est à partium metalli coactione. Vide Scalig. exerc. 12. distinct. 2. & 4. Vide etiam 9. exerc.

Neque verò est, quòd objiciat aliquis, in ferro candente calorem ignis majorem esse, propter unionem ferri & ignis essentialem, quàm in igne extra ferrum. Nam non est unio ferri & ignis essentialis. Et licèt talis esset, tamen caliditas potiùs igni, quia huic πρώτως, quàm ferro, quia huic δευτέρως, tribueretur. Ignis enim in ferro calidus est, & urit: & ferrum propter & per ignem. Unionem autem non esse essentialem, sed accidentariã ferri, & ignis, facilè probaverim ex eo, quòd unio ferri & ignis non constituit unum naturam, & unum compositum. Id enim proprium est eorum quæ sub ratione materiæ & formæ uniuntur. Itaque ferrum & ignis sunt unum non per se, sed per accidens. Sed hæc attentiùs alibi commentatus sum. Hic vellicatim de iis attigisse sufficiat.

LII.

Cur infantes omnes homines patris aut matris nomine appellant?

Ad exercit. Scalig. 202.

ARistoteles 1. ἀκροάσ. Phys. cap. 1. context. 5 pueruli, inquit, primùm quidem omnes viros patres appellant, & fœminas matres: pòst verò patrem & matrem à quibusvis viris & fœminis aliis discernunt. Quæritur igitur non ab re, cur ab infantibus omnes viri appellentur patres? Respondetur à Scaligero: Confusam esse in infantibus conceptionem specierum ex accidentium repræsentatione, quibus non spoliet eorum phantasma agens intellectus. Itaq; decipi eos, sicut rerum affinitas decipit plebejos animos. Hæc sic explico:

1. Ordo addiscendi naturalis est à cognitione imperfecta & confusa ad distinctam. Itaque prima puerorum cognitio est cognitio confusa. Notius autem nobis seu sensui nostro cognitione confusa est universalius seu totum, quàm partes, seu minùs universalia. Jam viri & fœminæ totius (confusi) rationem habent: pater verò & mater, (accidens quoddam viri & fœminæ) habent rationem partis. Itaq; pueruli primùm omnem virum vocant patrem, & omnem fœminam matrem. Confusa suis partibus nobis esse notiora, ostendunt nomina & defini-

definitiones eorum. Animal nobis notius est quàm definitio Animalis: quia nomen Animal quasi totum quippiam confusè significat, quod definitio Animalis distinctè & particulatim seu per partes declarat.

2. Facilius & prius convenientia cognoscitur quàm differentia. In universalibus res conveniunt: Propriis res differunt. Pueri igitur faciliùs & prius cognoscunt (cognitione confusa) universalia quàm propria. Atq; hoc est quod Zabarella concludit, *primùm cognitione actuali originali* (id est, ea qua primò impressus est rei conceptus animo, seu qua primùm concepta est animo rei species) *confusâ esse maximè universale.* Vide disputat. ejus de primo cognito cap.12. Sic generales visibilis species prius & citius percipiuntur singularibus. 2. lib. Optic. Alhazeni, ut: Quod vides eminus, prius percipis esse hominem, quàm quis & qualis sit homo: prius animal quod eminus movetur, quàm hominem esse dicis: & hominem, quàm Socratem. Visus comprehendens colorem prius sentit colorem, quâ est color, quàm sentiat, cujusmodi sit ille color. Priùs figura in genere quàm specialis figura percipitur. Quare singulis rebus percipiendis generales illæ notitiæ in primis in sensus incurrunt. Et universè: Quantò communior notitia fuerit, tantò nobis notior & perceptu prior: ut lumina tantò sunt illustriora clarioraque, quantò majora & ampliora. Ac, ut syllogismo concludam:

Eo ordine progreditur intellectus in cognitione universalium, quo sensus in cognitione singularium.

Sensus autem priùs cognoscit singularia magis universalium, quàm minùs universalium. Priùs enim cognoscimus Principem Hassiæ Mauritium è remotiore loco venientem, esse hoc corpus, quàm hoc animal: & hoc animal, quàm hunc hominem.

Ergo priùs intelligimus res sub conceptibus magis universalium quàm minùs universalium.

FINIS.

00564 3941